EPISTOLA APOLOGETICA PRO PATRIBUS SEXTAE SYNODI [DOMINICUS ANTONIUS...

Domenico Antonio Baldassarri

Digitized by Google

Sf. 1. 286

15 K. 1.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA

APOLOGETICA

PRO PATRIBUS

SEXTAE SYNODI

Digitized by Google

Ipſa repraeſentatio totius Nominis Chriſtiani magna Veneratione celebratur. Tert. in lib. De Jejuniis cap. 13.

Sanctum namque eſt pro debita ſibi Veneratione Concilium. S. Coeleſtinus I. Ep. ad Syn. Epheſ.

Quae *Univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis praeſumit aut ſolvere quos religant, aut ligare quos ſolvunt*. S. Greg. Magnus Ep. 25. ad Johan. Conſtantinop.

Digitized by Google

JOHANNI BAPTISTAE
BARTHOLO
EPISCOPO FELTRIENSI
COMITI ETC.
V. CL.
F. DOMINICUS ANTONIUS BALDASSARI
MINORITA CONVENTUALIS
FELICITATEM.

I. JAmpridem audieram, editam abs Te, Clariſſime ac Praeſtantiſſime Praeſul, pro Honorio I. Apologiam: Sed illam prae manibus habere antea non contigit, ſi accipit res fidem, quàm Anno ſuperiore; Cùm nempe, quàmlibet valde delecter ſimilium lectione Librorum, Theologicis tamen cùm privatis, cùm publicis Exercitationibus ita diſtinebar, ut ad eam commodè legendam, ſuoque momento ponderandam, nonniſi ultimos hoſce Menſes otioſos nactus ſim. Simpliciter Tecum & candidè loquor, quem candidum nobis Scripta & fama commendant: Perfecta illa quidem ingenio, multaque induſtria elaborata, quae propterea mereretur eruditae vocis oraculum: Sed tamen haud equidem uſquequaquè proban-

da, ob plus aequo, graviuſque notatos ibidem Sextae Synodi Patres. Pro quibus Epiſtolam hanc Apologeticam Tibi dandam conſcripſi. In qua haud liberè infinitèque vagabor, quin iiſdem Tecum terminis continebor, ita, ut Te uno uſus omnibus videar, utque vix comprehendar ab aliquo, ad quem Apologia non aliquando pervenerit. Teſtor itaque, me pro Epiſcoporum Sextae Synodi fama, integritate, memoria propugnandum putare. Quod ſpero, impunè licebit, perhibent enim, Te illum eſſe,

Quem ratio, non ira movet.

II. Quòd igitur Sextae Synodi Patres toto Capite XXIII. & alibi paſſim, imprudentiae, audaciae, irruptionis, fraudis, temeritatis, tumultus, iniquitatis, impotentiae demum expoſtulas, unde in eoſdem tam gravis cenſura conveniat, haud ſatis mihi videor ex eodem Capite didiciſſe. Quod enim ibidem ais, oblatas Synodo Epiſtolas, Macarii ac Georgii nimia, nec vacua ſuſpicione diligentia: Honorii Vita honeſtè ac laudatiſſimè acta: Orthodoxia ab Johanne IV. & Sancto Maximo feliciter eidem aſſerta: Alto Severini ſilentio, itidemque Johannis IV. Theodori, Sanctique Martini I. Romanorum Pontificum, Monothelitarum Cauſſam diu multumquè verſantium: Sancti Agathonis Deceſſorum integritatis & fidei teſtificatione ſolemni: Veriſimillima Legatorum interceſſione: Macarii demum, aliorumque Monothelitarum ſaepe detectis fraudibus vehementiſſimè de corruptione, ac etiam de ſuppoſitione ſuſpectas, non ſecus laudatos Patres, prudentem planè Pontificem damnare geſtientes, ac germanos Honorii foetus nequiter violenterquè admiſiſſe, multiplex quidem ratio eſt, ac omnium prope

gra-

Digitized by Google

gravisſima, itidemque juſtiſſima, ſi tamen tam comperta ea foret, quàm neceſſe eſt eam eſſe, unde criminatio tanta concluditur.

III. Ac ſi talis ea eſt, talem illam primi profectò effecerunt Romanae Eccleſiae Legati, qui Romanos, Conſtantinopoli prius per literas, exin Romae praeſentes vel ſua ſponte, vel eorundem coactu, moeſtis vocibus, tamtae rei indignitatis fecère certiores. Hinc Agatho, hinc illius temporis Clerus, hinc Urbs univerſa quo res Honorii ſe habuerint modo planiſſimè didicit. Hinc praeſertim Leo II. temporis, loci, Hominumque deprehendit iniquitatem. Hinc mihi videor quemque Romae videre iniuriam Honorii Nomini illatam redimere meditantem, proferentemque Unicam ingenuamque ejuſdem Epiſtolam; ac omnium Ordinum ſtudia, ne vis, ne fraus, ne quemquam lateat iniuſtae damnationis iniquitas. En graecae fraudis omnia plena, eandemque ad notitiam Occidentalium omnium tranſmiſſam, atque monimentis multis notatam ad Poſteritatis memoriam ſempiternam. Si enim de animo dubitare non licet, oportunitas certè non deeſt; agit quippe Leo de hujus ejuſdem Synodi Verſione, deque eadem commendanda (*a*) Hiſpanis Epiſcopis. Quos, Ervigiumque Regem propterea monebit, ne cui ſuccenſeant, ne cui tribuant damnationem Honorii, niſi audaci ſemper invidentiae Graecorum. (*b*) Quod verò primum ac potiſſimum eſt, idemipſe Leo, Synodi hujus Acta probaturus, (*c*) cùm voluntate ſua, cùm alieno impulſu tam impiger Sancti Leo-

(a) *Cap.* XXVII. *Apologiae Cl. Bartholi.* (b) *Cap.* XXIII. & XXIV.
(c) *Cap.* XXVI.

Digitized by Google

Leonis I. ſequetur exemplum, (*d*) ut quae perperam, praeter ordinem, ac Pontificia Autoritate ceſſante geſta ſunt, illico declarabit in irritum miſſa, atque generali prorſus definitione deleta. Quòd ſi quis vellet rem aliter fingere, fingendum ſibi contra rerum veritatem itidem eſſet, Legatos Conſtantinopoli periiſſe: Aut nihil id Romae reſcire interfuiſſe: Aut Sergii ad Honorium, & hujus ad Sergium Epiſtolas Occidentalibus ignotas omnino jacuiſſe: Aut Johannis Apologiam, Sancti Maximi Congreſſus, Actaque Severini, Johannis, Theodori, Martini, Agathonis demum omnes penitus latuiſſe. Quocirca rei probabilitate niſi, confidimus, hiſce quoque temporibus in Agathone, Leone II. Benedicto II. Johanne V. harum rerum peritiſſimo, quippe qui pro Agathone Sextae Synodo praefuit, redivivos & ad detegendas, reprobandas, publiciſque monimentis Graecorum fraudes deſcribendas diligentiſſimos, Gelaſios, Leones, Xyſtos, Gregorios, (*e*) & ſiqui ſunt alii, qui ad omnium temporum utilitatem graecam perfidiam latina calliditate ſuperarunt.

IV. Qui ni tantum illorum temporum iniquitate profecerint, ut res Honorii eò redeant, quò ante Sextam Synodum fuerant, fient tamen Septimae Synodi oportunitate (*f*) meliores, cùm Hadrianus I. Deceſſorum diligentia uſus, Septimae Synodo eaſdem penitius retractandas ſua Autoritate mandaverit; Cùmque hujus Synodi Patres, quorum alii ex auditu, alii inquiſitione, non omnino fortuita, de eadem ſeu vi, ſeu

(d) *Pag.* 174. (e) *Cap.* XXIV. (f) *Pag.* 204. & 205.

Digitized by Google

ſeu fraude perceperunt, tanta juſſione permoti, impulſique oratione Legatorum, quin Cauſſae bonitate confiſi, Auguſtini ſententiam, Concilia priora a poſterioribus ſaepe emendari, ſecum ipſi verſantes, ac forte etiam Quintae Synodi, re tamen converſa, ſibi proponentes exemplum, ſic rem iſtam aggreſſi fuerint, ut haud levi coniectura ab Actis Sextae Synodi Nomen Honorii jam quiſque Latinis auguretur expunctum.

V. Si autem Honorii Cauſſa, ne hac quidem opportunitate contenta, tempus oportunius expectat, quamvis ſera, non deerunt tamen tempora Photii, quae, non dico occaſionem, ſed & ejuſdem in integrum reſtituendae talem neceſſitatem offerent, ut evitari plane non poſſit. Photius igitur non abutetur diutius Sextae Synodi exemplo; nec amplius Anathema in Nicolaum I. quod dixerat, Honorii damnatione honeſtabit. Jam enim praedamnatam immeritò Cauſſam alter Hadrianus expendit: Jam adverſus Photium Octavam Synodum cogit: (*g*) Jam de Autore Epiſtolarum, quas Sexta Synodus, ſive hujus Epiſcopi ſub Honorii nomine damnaverunt, Anaſtaſio ſuggerente, (*h*) incipit ſuſpicari. Jam idem ipſe Anaſtaſius, Bibliothecarium inquam, veterum monimentorum, quae ſunt etiam craſſioribus tenebris occultata, profeſſione ſua inveſtigator diligentiſſimus, omnia rimatur, eruit omnia, omnibus prodit. (*i*) Nec profecto ſudabit, ſi in memoriam ea, quae initio diximus, revocemus. Jam cuncta prae manibus ſunt, Apologia prae-

(g) *Pag.* 206. (h) *Pag.* 269. *ſub Num.* IV.
(i) *Pag.* 180. *ſub Num.* III.

praeſertim Johannis IV. ne diutius cum Hadriano hac in re dubius haereat, quin fiant ambo monimentorum Copia certiſſimi. Jam igitur Photius, Cauſſam agente Hadriano, (*k*) oppilabit os ſuum: Jam Hadriani Legati Anathematis Cauſſam in Synodo Octava orabunt longe felicius: Jamque aliquando tandem hujus Synodi Patres haud aegrè Sextae Synodi Acta Honorii abraſione emendabunt.

VI. Unus modò reſtaret Eccleſiaſticae Antiquitatis peritiſſimus omnium, Cardinalis Baronius, cujus diligentiam certè non fugit . . . . . Sed & hunc, & poſt eum ceteros omnes hujus Cauſſae Vindices volens, lubenſque nunc praetermitto, Tibi enim noti ſunt, parumve probati, (*l*) & mihi ad commemorandum non neceſſarii. Quamobrem quid ſupereſt? Niſi ut Te modò compellem, num in tanta nihil horum omittendi neceſſitate, ſi veras Tu violentias, vel fraudes conjectaſti, imo & haec, & alia benè multa praeſtandi, quicquam horum actum ſit? Ut Tibi conſtes, nihil, inquies. Itaque aut ad Epiſcopos Sextae Synodi, quos Capitis XXIII. titulus praefert, adde illos omnes, quos nuper longa ſerie laudavi: Aut mihi concede, rationes ejuſdem Capitis non tam exploratas, quàm Ipſe putaras, quàmque oporteret eſſe, unde acerrimae cenſurae ſit argumentum. Inter enim haec duo puncta res tota comprehenditur: Aut aequali Utrique crimine Honorii famam diripientibus & impoſtoribus prodiderunt; Aut Neutri hujus Cauſſae inexplicabiles nodos expedire potuerunt.

VII. Di-

(k) *Pag. 298. ſub Num. 111.* (l) *Pag. 85. 86. & 88.*

VII. Dimiſſis Tibimet defendendis Sextae Synodi Epiſcopis, faciendus heic eſſet hujus Epiſtolae modus, ni inita abs Te ſuſpicionum via, (*m*) qua ad reos illos agendos pervenires, plurimum ipſa ſuſpicionis haberet, eaque re ſe nobis offerret ſtylo prolixiore examinandam.

VIII. Quaedam igitur Graecorum ingenio interlita ſuſpicaris, vel detruncata, ut Actione hujus Synodi quinta (*n*) & duodecima. (*o*) Quaedam ne ſcriptis quidem commendata, ut Actione XIII. (*p*) & XVI. (*q*) Quaedam interpolata, corrupta & depravata, ac etiam multa ex parte ſuppoſita, ut Epiſtolas, Sergii ad Honorium, (*r*) hujus ad Sergium, (*s*) Sancti Leonis II. ad Conſtantinum Imperatorem, (*t*) ad Ervigium Regem, & ad Hiſpanos Epiſcopos. (*u*) Jam pedum viſa eſt via, jamque ferè comprehenſum quorum veſtigia preſſeris. Niſi quòd cum Pighio, Baronio, & Bellarmino (*x*) de corruptione nonnihil, de corruptore ex parte diffides, ex parte conſentis.

IX. Sed amabo Te, quo, non dico Graecorum, quamquam & horum aliquis probus & integer, ſed Latinorum etiam, vel autore, vel impulſore de Epiſcoporum Sextae Synodi ſeſſione, oſcitantia, vi, fraude ſuſpicaris? Legatis ne? quorum vita diu ab ea Synodo fuit longeque protracta? Quos è Graecis ad Latinos, Romanoſque digreſſos, nec mutos ſcimus, nec verò ad ſilentium aliquo terrore compulſos? An Agathone? qui quatuor adhuc menſes fuit huic Con-

(m) *Cap.* x. (n) *Pag.* 61. & 62. (o) *Pag.* 65. 67. & 68.
(p) *Pag.* 69. & 70. (q) *Pag.* 75. (r) *Cap.* XII.
(s) *Cap.* XV. & *ſeqq.* (t) *Cap.* XXVI. (u) *Cap.* XXVII.
(x) *Pag.* 84. & 85.

Digitized by Google

cilio ſuperſtes, tandiu nempe, ut per literas ſaltem, ni etiam per Johannem Epiſcopum Portuenſem, qui reditum ad Urbem prae ceteris maturavit, certior de Graecorum perfidia fieri facillimè potuit: quam ne animam quidem agens Sanctiſſimus Pontifex tacuiſſet. An Leone II.? Quo ab hujus Synodi hiſtoria nemo magis inſtructus, & unde Latina Poſteritas translatam, commendatamque eandem hanc Synodum habuit? An Benedicto II.? Qui ſuper eadem Synodo literas ab Toletana XIV. recepit? An Agathonis olim ad hanc Synodum Legato, Johanne hujus nominis Quinto? An demum aliquo illius AEvi Scriptore? Multorum enim ad nos Scripta feliciter pervenere. Quae cùm lego, illud Plauti in memoriam redit:

Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios, una res:
Omnes compacto rem agunt.

Quis, inquam, horum omnium, ſive aliorum, qui recentes ab eorundem aetate fuerunt, qui ceteroquin haberi debent rerum hujus Synodi peritiſſimi, ac etiam ſoli, incorruptique graecarum fraudum judices ſimul & vindices, quis autor Tibi fuit tanta de illis Epiſcopis ſuſpicandi?

X. Quod attinet ad Actionem hujus Synodi quintam, rerum, inquis, ipſa veriſimilitudo. *Nam quis ſibi in animum inducat, cùm Macarius ceterique Monothelitae, qui in Concilio erant, Sanctorum Patrum teſtimoniis abuſi fuiſſent, nimirum cùm ſententias ex Sanctis Patribus aut praeter rem, aut decurtatas, aut corruptas adduxiſſent, Legatos Apoſtolicos plane tacuiſſe, & non magis Monothelitis fraudem & fallaciam exprobraſſe? In Actione tamen hac de Legatorum hujuſmo-*

juſmodi conqueſtione nihil quicquam ſcriptum extat. (y) Quàm bellè heic Tullius! *Quid haec feſtinatio? Quid haec immaturitas tanta ſignificat?*

XI. Idipſum quod Duodecimam ſpectat. *Illud verò*, proſequeris, *incredibile eſt, Sancti Agathonis Legatos audita Epiſtola, quae Honorii I. nomine lecta fuit, planè tacuiſſe, nihilque conatos, ut Scriptum illud ſibi novum, atque inviſum, in Honorium autem maximè iniurium, falſitatis arguerent; praeſertim cùm adverſus Libellos Vigilio adſcriptos hoc jam praeſtitiſſent! Quanto facilius ſibi quiſque in animum inducet, Actionem iſtam mutilam eſſe, in eaque praetermiſſam Legatorum expoſtulationem*. (z)

XII. Hocipſum quod ſubſequentem. *Quid ad haec*, inquis, cùm occaſione alterius Epiſtolae haereſis Honorius arguitur, *quid ad haec Sancti Agathonis Legati? Nihil, ne verbum quidem. Bardos, ſtupidos, vel elingues, aut magis ſtipites illos fuiſſe oportet, qui cùm audirent Honorium I. Pontificem Summum Haereticis Monothelitis annumerari, atque una ſimul cum illis damnari, & anathematizari, Literaſque ejus nomine inſcriptas tanquam impias comburi, ne hiſcerent quidem. An illos fugerat, Honorii orthodoxiam a multis, & Johanne IV. praeſertim fuiſſe vindicatam? An ignorabant, Pontifices, qui hac de re inquiſitionem ante habuerant, Honorium in haereſis ſuſpicionem vocaſſe nunquam? Anne illos oblivio ceperat eorum, quae Sanctus Agatho in mandatis dederat, ut abs ſe decretis nihil quicquam addi paterentur? Haec omnia incredibilia cre-*

(y) *Pag.* 62. (z) *Pag.* 68.

credat ille neceſſe eſt, cui non perſuaſum ſit, Legatos excuſationes multas, & juſtas, & idoneas attuliſſe, quae facilè Honorium defenderent; quas tamen cùm accipere noluiſſent Epiſcopi, qui in Concilio aderant, iccirco ſcriptis commendatae non fuerint. (a)

XIII. Hoc demum, quod Decimamſextam, in qua obſervas, *Georgium, alioſque quoſdam Epiſcopos conatos fuiſſe ſubducere infamiae Sergium, Pyrrhum, Paullum, Petrum, quoniam fuerunt Conſtantinopolitani Epiſcopi, quamvis peſſimi Monothelitae: De Honorio verò, qui Romanus Pontifex fuit, cogitaſſe neminem, neque Legatis curae fuiſſe ejus honorem, exiſtimationem, nomen, innocentiam tueri. Quod cùm difficile creditu ſit, facilius omnibus perſuaſum erit, huic quoque Actioni nonnulla deeſſe.* (b)

XIV. Haec iccirco tuis iiſdem verbis referre volui, ne mihi quicquam eorum excideret, quae viſa ſunt rectà concludere Epiſcoporum Sextae Synodi veriſimilem fraudem. Quamvis enim cetera quoquè, quibus Sergii ad Honorium Epiſtolas, hujus ad Sergium, Leonis II. ad Conſtantinum Imperatorem, ad Regem Ervigium, & ad Hiſpanos Epiſcopos, multis magniſque vitiis conjicis Monothelitarum arte refertas, eorundem Epiſcoporum complectantur vel culpabilem in re facili tarditatem, vel nunquam ab iiſdem expreſſam, quod ad Honorii damnationem attinet, ab Romanis Pontificibus firmitatem, tamen, quòd in Cauſſam, quam ago, minorem impetum faciunt, nihil neceſſarium detraho ſi deinceps conſulo brevi-

(a) *Pag.* 70. (b) *Pag.* 75.

brevitati. Itaque, inquis, a Macario (*c*) tot, exquiſitarumque fraudum architecto, & ab conſentientibus ſibi ſui facinoris adjutoribus cur non timeretur Sergii & Honorii Epiſtolas nova fuiſſe fraude vitiatas? Cur nullam ſuſpicionem ingereret Georgius ille Chartophylax diligenter nimis, nimiſque expeditè inde, ubi jam compertum erat etiam corrupta ſervari, ea proferens, quae Honorii famam graviter laederent: (*d*) interim ferè convictus (*e*) trium, aut quatuor etiam Conſtantinopolitanae Sedis Patriarcharum nominibus medio periurio peperciſſe? Cur cum Congreſſibus Sancti Maximi, (*f*) cumque Johannis IV. Apologia (*g*) Sergii ad Honorium non conferretur Epiſtola? Unde ſcilicet deprehenderetur, an ita, ut edita eſt, Macarii contineretur Codice; & an quicquam ex Scriptoris intentione referret, quod reſponſum ab Honorio minus catholicum videretur exigere? Cur non ſaltem leviter animadverteretur arcanus quidam, ac myſterio non vacans Sergii, Pyrrhi, Paullique ductus, aut involuta quaedam eorundem agendi ratio, (*h*) ab ea planè diverſa, qua is uſus eſſet, qui tale accepiſſet, quale in Sexta Synodo lectum eſt, ab Honorio reſponſum? Quod ſi pluſquàm ſatis eſſe poterat ut Honorii Epiſtola diſſimilis conjiceretur ab Ecthesi; hoc aliud, argumentum exibebat invictum eam ipſam Epiſtolam nihil unquam commune habuiſſe cum Typo; quod eſt, quòd ante Sextam Synodum hunc Typum, intactâ Honorii Epiſtolâ, Catholicus quiſque reſpuerit: quòd inſuper hunc ipſum Honoria-

(c) *Pag.* 148. & 149. & 167. (d) *Pag.* 69. *uſq. ad* 74. & 147. & 168. (e) *Pag.* 46. 47. 48. & 73. (f) *Pag.* 103. 104. 105. (g) *Pag.* 105. 106. 107. (h) *Pag.* 125. *uſq. ad* 133.

rianâ Epiſtolâ nemo defenderit. (*i*) Cur demum altera Honorii Epiſtola, quam adusque Actionem XIII. nec Orthodoxus quiſquam, nec Monothelita laudaverat, (*k*) non judicaretur recèns Monothelitica fraude ſuppoſita? Cum autem Epiſcopi Sextae Synodi Honorii damnationi nihil tale praemiſerint, (*l*) quod equidem exequi judicii religione tenebantur, ne ſperent Leoni II. facti ſui probatam unquam iri rationem. Quae enim invidus ille obtrectatorque Graeculus in Epiſtolis ad Conſtantinum Imperatorem, ad Ervigium Regem, & ad Hiſpanos Epiſcopos, ſparſit, ut nempe latum in Sexta Synodo de Honorio judicium ab Leone II. adprobationem expreſſiſſe videretur, unà fere cum iiſdem Epiſtolis commenta ſunt omnia, & praeter omnem Hiſtoriae fidem. (*m*)

XV. Haec totidem ferme ſunt, quot Epiſcopis Sextae Synodi praejudicandis Tibi multis Capitibus collegiſti. Qua re Anaſtaſio Bibliothecario multo aequior, me judice, es, cujus latum in eadem Cauſa conſimile praejudicium (*n*) ſuſpicionibus ſine dubio levioribus nitebatur. Ut propterea de eodem pronunciare non verear: Quod nondum Roma cenſuit, hic non minus arroganter, quàm leviſſimè praejudicavit. Sed jam ad propoſitum. Et quandoquidem eò argumenta numeravimus, ut num illa probabilem Tibi ſuſpicionem moverint expenderemus, ſingula percurramus.

XVI. Inde autem initium fiat, unde primum ſuſpicatus es corruptionis locum. (*o*) Qui hercle Tibi iniu-

(i) *Pag.* 133. 134. 135. (k) *Pag.* 126. (l) *Cap.* XXIII. (m) *Cap.* XXVI. & XXVII. (n) *Pag.* 169. (o) *Pag.* 62.

Digitized by Google

iniuriâ ſuſpectus eſt, ubi Macarius, ejuſque Symmiſtae, ea uſi poteſtate, quae ipſis ab Synodo facta fuerat, (*p*) nedum Legatos, ſed & Synodum univerſam reliquorum expectatione teſtimoniorum reliquere ſuſpenſam. Tolerabilior ſuſpicio foret, minuſque praeproperae feſtinationis notanda, ſi Actione ſexta jam abſoluta, jamque interrogatis Monothelitis, num quidnam amplius proferre vellent, iiſdemque reſpondentibus: *Sufficientes ſumus in his quae jam a nobis prolata ſunt, teſtimoniis Sanctorum ac probabilium Patrum, & aliud quid proferre nolumus*, (*q*) nihil ibidem de Legatorum conqueſtione legeretur.

XVII. Satis heic mirari non poſſum quid cauſſae fuerit, quamobrem nunc primùm, & non multo magis antea, vel poſt incoeperis ſuſpicari! Tunc enim verò maximè res agebatur tua, cùm Macarius Actionibus I. (*r*) VIII. (*s*) & IX. (*t*) ad ſuae haereſis patrocinium nomine abutebatur Honorii. Ubi proinde veriſimilius, ac etiam commodius ſuppreſſam conjeciſſes conqueſtionem Legatorum. Commodius, inquam, quia gradatim ex iis intuliſſes, Actiones XII. XIII. & XVI. veriſimillimè decurtatas. Difficile factu! Eòque difficilius, quàm facillimè novimus, eoſdem Legatos, iiſdem plaudentibus Patribus, ſimiliter uſurpatum, Macario eripuiſſe Vigilium. Haeres ne in eo, quod dixi, Plaudentibus Patribus? Nempe exemplum times conſimilis plauſus, ſi reipſa Legati navaſſent Honorio conſimile ſtudium. Attamen, non plauſerunt modò, ſed inſuper Legatis ita detulerunt,

(p) *Pag. 62. lin. 2.* (q) *Pag. 62.* (r) *Pag. 58.*
(s) *Pag. 64.* (t) *Pag. 66.*

Digitized by Google

lerunt, ut quòd jam ab illis Actione III. & VI. Macario intercеſſum fuerat, Iſque jam plagii manifeſtè convictus, Actione XII. ne legi quidem paſſi ſunt Sermonem & Libellos Mennae & Vigilii, quàmlibet in eo Codice continerentur, quem Synodo Imperator obtulerat: (u) Juſſumque ſit Actione XIV. ad normam puriſſimorum Codicum Quintae Synodi, quos Epiſcoporum ſingularis ac mirifica pro Legatis vigilantia detexerat, *Libros eos obelis obduci in locis, in quibus depravati ſunt, & caſſari eos: Illos autem qui falſaverunt anathemati ſubmitti; & nominatim cum eis anathematizari Libellum, qui dicitur Mennae ad Vigilium, & duos Libellos quaſi a Vigilio ad Juſtinianum, & Theodoram*. (x) Tantum, & plus etiam; eadem enim de cauſſa Macario jampridem ita Epiſcopi ſuccenſuerant, ut & improbum illum notarint, ac vituperarint, *in devia mittentem noſtrum Principem per oblatos ab eo Codices*; & variam eidem multiplicem, detеſtabilem fraudem ſingillatim oppoſuerint, exprobrarint, obiecerint. (y) Age porro, quî paribus in cauſſis paria deeſſe potuerunt aequitatis officia? Quae mecum ipſe perpendens, penè oblitus eram Actionis XII. quaeque tamen, ni plurimùm fallor, non penitus luſimus.

XVIII. Ad Actionem XII. jam devenio, dum adverſus Natalem Alexandrum mihi ſumo, tales nempe fuiſſe ſex Apoſtolicos Legatos, quales per Epiſtolam ad Donum Conſtantinus ab Agathone popoſcerat: *Adhortamur*, inquiens, *Veſtram Paternam Beatitudi-*

(u) *Pag. 66.* (x) *Pag. 71.* (y) *Pag. 67.*

Digitized by Google

tudinem per praeſentem noſtram piam Sacram dirigere Viros utiles ac modeſtos, notitiam habentes totius a Deo inſpiratae doctrinae, & peritiam irreprehenſibilem habentes dogmatum, indutos perſonam Veſtrae Apoſtolicae Sedis, DEFERENTES ET LIBROS, QVOS OPORTET PROFERRI, & omnem autoritatem habentes. Item, eoſdem Legatos Conſtantini & Epiſcoporum expectationi mirificè reſpondiſſe, ut ſatis ipſa per ſe loquuntur quae per ſingulas Actiones (z) integritatis, fidei, doctrinae illuſtria paſſim dederunt exempla. Demum, inter Libros, quos deferendos, ac proferendos Imperator commemorat, nullum ab illis monimentum fuiſſe neglectum, quod ad univerſam Monothelitarum Cauſſam pertineret: Hoc eſt, ea quae in eadem Cauſſa cùm Catholicorum, cùm Monothelitarum ſive Perſonas, ſive Scripta reſpicerent. Haec non nitor oſtendere, ne minimè dubia, dubia argumentando faciam. Nunc autem aſſumo: Si Epiſcopus ut es, Fidei, Reique Romanae ſtudioſiſſimus, ei aſſediſſes Synodo, eidemque Actioni, ubi prolata eſt Epiſtola Honorii, vehementer etiam de corruptione ſuſpecta; ne fidei, ne ſtudio deeſſes, atque omni prorſus culpa vacares, Cui potiſſimùm conferendam commiſiſſes? Cui illam diligentiſſimè commendaſſes? Ei, opinor, qui prae ceteris doctior, rerumque geſtarum peritior haberetur: Qui ibidem pro Occidentali Parte ſederet: Qui cum ſuae Legationis Collegis conferre facillimè poſſet: Qui demum delatis ſecum monimentis quamlibet falſitatem poſſet omni modo deprehendere. Quaeſo autem, quid

(z) *Pag. 57. & ſeqq.*

minus praeſtitere Sacrae hujus Synodi Patres ? Lectam ne illico combuſſerunt ? Anathema ne illico pronunciarunt ? Aut Georgii Chartophylacis fidei crediderunt ? Minimè id quidem ; Sed Occidentalis Legationis Primo, *Johanni Epiſcopo Portuenſi* cum Authentica conferendam optimo ſanè, ac irreprehenſibili conſilio tradiderunt . (*a*)

XIX. At inquis, inter Paginam 149. & 150. ubi, da verbo veniam, majorem certè fidem deſideraviſſem, *in Patriarchio Conſtantinopolitano*, unde eruta Epiſtola eſt, *fuiſſe Codices corruptos*, *vitiatos*, *adulteratos*. Hoc Tibi ultro ac libenter aſſentior. Et nunc etiam fortaſſe dices, tantam, tamque ſolertem ſuper Libellis inquiſitionem Actione xiv. (*b*) juſſam eſſe, ut aliquando tandem integerrimus Quintae Synodi Codex, cum quo ceteri interpolati conferrentur, inventus ſit. Quid ſimile pro Epiſtola Honorii actum eſt ? Et hoc inſuper libentiſſimè aſſentior ; imo hoc etiam addo, proditae illos ipſos Patres cùm Mennae, cùm Vigilii Cauſſae reos tunc certè futuros, niſi, ab Legatis admoniti, & jam Actione iii. (*c*) rogati, examuſſim illhaec omnia juſſiſſent. At iterum quaeſo Te, ad Epiſtolam Honorii quod attinet, cujus rogatu ? cujus admonitu major fieri debuit inquiſitio ? Legatorum ne ? qui eádem Epiſtolá cum Authentica accurratè collatá, (*d*) nihil quod ab Monothelitis, quod a Macario, quod ab Georgio Chartophylace, quod demum a Patriarchio illi timerent, deprehendentes, nihilque cunctantes, palàm *Conſti-*

tiſſe

(a) *Quod, caſu fortaſſe, deeſt in Epitome Cl. Bartholi.*
(b) *Pag.* 71. (c) *Pag.* 60. (d) *Pag.* 149. *&* 150.

Digitized by Google

tiſſe dixerunt? Hiſtoriam, non fabulam narro. *Similiter*, legitur Actione XII. *prolata eſt a Georgio Deo amabili Diacono & Chartophylace Epiſtola Authentica Latina Honorii quondam Papae Romani ad Sergium quondam Patriarcham Conſtantinopoleos unà cum ejus interpretatione*: ET COLLATA EST EADEM LATINA EPISTOLA PER JOHANNEM REVERENDISSIMUM EPISCOPUM CIVITATIS PORTUENSIS, QUI UNUS EXTITIT DE CONCILIO ANTIQUAE ROMAE. ET CONSTITIT. Anne quid, nedum diminutum, ſed & auctum hac Actione eſt? Noſtin' quo Argumentorum genere utimur? Nimirum non negantium, ut perpetuus Tibi mos eſt: Sed quae, ut procedunt, ſic affirmante ratione concludunt. Suſpicare modo ſi potes vitiatam & mancam Actionem XII. vafrèque ſuppreſſam querimoniam Legatorum.

XX. Utinam ab difficultatibus Actionis XIII. & prolatae in ea alterius Epiſtolae aequè expedire me poſſem, quàm facilè Epiſcopos Sextae Synodi ab invidia ſibi quaeſita hactenus vindicavi! Sed ne multum diſcrucier, illud eſſe videtur, quòd quae heic lecta eſt, altera Honorii Epiſtola, ejus veluti quoddam ſemiexemplum eſt, quam germanam eſſe, ſuperiore conſtitit Actione: Quòdque Actioni huic ii omnes interſunt, qui in illa de priore Epiſtola tranſegere. Inter quos Georgius ille Chartophylax ut apud Te eſt primus in ordine Monothelitici ſceleris veriſimiliter conſcius, (e) ſic primus a me ſuſcipitur protegendus. Perperam ergo vereris, ne Is in hac al-

(e) Pag. 161.

tera Epiſtola proferenda graecae vitia naturae ſtudio atque artificio quodam malitiae condierit. (*f*) Nec enim ut tale illi aptes ingenium, benè a quadam ordiris ſubdubitatione periurii; (*g*) cujus nec illum voluntas ad mendacium arguit, nec verò indiligentia condemnat. A quo enim ne Johannis quidem, aut Conſtantini ad Macarium inſcripta Synodica neglecta eſt, (*h*) ei nec voluntas ad obſequendum Patribus deeſſe potuit, nec diligens profecto exercitium.

XXI. Sed dices, minimè id mirum, ſi utramque Synodicam, ac tertiam etiam Thomae ad Vitalianum inquiſivit, palamque eſſe voluit, qui quoad eniti potuit Conſtantinopolitanos Patriarchas ad Catholicae Fidei normam ſemper effinxit. (*i*) Ceterum quicquid horum Patriarcharum haereticum quid redolere poterat, quales eorundem Synodicae, eae penitus eſſe debuerunt, quas ab Romanis Pontificibus rejectas Imperator in Epiſtola ad Donum Pontificem narrat, (*k*) Georgius vel periurio, vel pingui ſaltem negligentia contexit.

XXII. Cùm in Thomam, Johannem, Conſtantinum, quibuſcum Sextam Synodum ſcis honorificè egiſſe, (*l*) & in Georgium etiam Chartophylacem benignior eſſe poſſis, idque ſine jactura veritatis, cur? Cauſſae inſerviens tuae, ita ſtudio partium abriperis, ut iniurius eſſe videaris? Deerant ne modi benigniùs interpretandi vel dictum Imperatoris, vel

factum

(f) *Pag.* 147. (g) *Pag.* 46. (h) *Pag.* 45. & 47.
(i) *Pag.* 48. (k) *Pag.* 46. (l) *Pag.* 46.

Digitized by Google

faſtum Summorum Pontificum? (*m*) Ut enim certiſſimus eſſes, Imperatorem tres illos Patriarchas ſubindicaſſe, eorumque Synodicas ad Romanos Epiſcopos, offenderes ne veritatem, ſi Imperatorem ſuſpicareris ſuper iiſdem ab Theodoro deceptum? Non enim ſuſpicionum conſcientiae Te facilè vexant, & aliude Theodorum intus, intus & in cute noſti, qui & Imperatorem callidè latére ſcivit, (*n*) & proximè retegendus, cujuſvis ſe judicio ſubducere. (*o*) Nec procul aberrares a vero, ſi hujuſmodi Synodicas eò invíſas fuiſſe cenſeres, quòd quàmlibet orthodoxae, comprehenſu tamen difficile fuerat, an ab Conſtantinopolitanis Epiſcopis ex animo, an ficté, cumque Romanis Epiſcopis communicandi cauſſa datae forent. Cautos, quin & moroſos eſſe monebant quae in Paullo, (*p*) Pyrrho, (*q*) Petro (*r*) exempla praeceſſerant. Sed ut nihil horum admittas, eas quaſi haereticas non poteris certè notare, ſemelac quae ad Macarium ipſum, nefarium Monothelitam, datae ſunt, (*s*) nullo ſcatent errore. (*t*) Ab omni autem haereſis ſuſpicione purgandis, aut etiam penitus denegandis hiſce Synodicis, & illud accedit, quòd neque Macarius feſtivè haec odorans, quin & acutiſſimè monumenta iiſdem uſus eſt ad ſuae haereſis patrocinium: Nec Legati, ab earum Autoribus, ab iiſque Pontificibus, qui eas rejeciſſe feruntur, non longè remoti, earundem, Georgio Chartophylaci pro Thoma, Johanne, Conſtantino juranti, vel laudantibus eoſdem Epiſcopis intercedendo, memi-

(m) *Pag.* 46. (n) *Pag.* 50. (o) *Pag.* 51. (p) *Pag.* 22.
(q) *Pag.* 24. (r) *Pag.* 38. & 40. (s) *Pag.* 45. (t) *Pag.* 46.

Digitized by Google

meminerunt ? *Nam*, ut pro Sylla inquit Tullius, *quorum ſcientiam de omnibus conſtat fuiſſe, eorum ignoratio de aliquo, purgatio debet videri*. Perſpicuum utrumque per ſe & grande argumentum! Tale inquam, ubi Chartophylacis fides, orthodoxia Thomae, Johannis, & Conſtantini, ac de iiſdem Epiſcoporum elogia ſalva, ac tecta quieſcant.

XXIII. Atqui tamen obmurmuras, nemini probatam iri Georgii hujus integritatem, quoad is ſuſpectus ſit, quòd *Pyrrhi & Paulli Scripta, quae in medium afferre juſſus fuerat, abſcondit. Neque enim quae aut Pyrrhus pro Ecthesi, aut Paullus pro Typo ſcripſerat, propoſuit*. (*u*)

XXIV. Itane? Non propoſuit; igitur abſcondit? expreſſa ſanè complexio, planèque contorta. Ipſe autem, nedum non abſcondiſſe ajo, ſed contra, propoſuiſſe. Momenta verborum, quae ex Actione XIII. ſubjicio, mecum quaeſo perpende. *Et paullulum egreſſus Georgius Deo amabilis Diaconus & Chartophylax, & poſt modicum regrediens*, CHARTASQUE DIVERSAS DIFFERENS, *dixit*: *Secundùm quod placuit Veſtro Sancto Concilio*, OMNES LIBELLOS, PROFESSORESQUE, ET CETERAS CHARTAS, QUAE FACTAE SUNT AD PRAESENTEM DOGMATICAM NOTIONEM PERTINENTES, QUAEQUE INVENTAE SUNT IN CHARTOPHYLACIO VENERABILIS PATRIARCHII, PROTULI. *In quibus & alteram latinam Epiſtolam Honorii* .... SIMILITER PROLATI, ET LECTI SUNT

(u) *Pag.* 168.

Digitized by Google

SUNT LIBELLI ; QUI SUPERIUS MEMORANTUR. *Sanctum Concilium dixit: Cognitionem accipientes prolatorum Nobis a Georgio Deo amabili Diacono* . . . . LIBELLORUM, ATQUE CHARTARUM, SIVE ALIORUM OPUSCULORUM, *comperimus in unam eandemque impietatem concurrere. Et praevidimus haec tanquam prophana, & animae pernicioſa, continuò ob perfectum exterminium igne concremari. Et combuſta ſunt*. Heic ſi Pyrrhi & Paulli nomina deſunt, pronomina, & Scripta certè non deſunt. Habes igitur Profeſſorum, Chartarum, Libellorum farraginem, inde Tibi ſume ſi quid eſt, quod adhuc deſideras: Idque tutiſſimè, etiamſi Ecthesim, Typumque ibidem dixeris inveniſſe. (*x*) Interim ego fide me abducens mea, Georgium omni prorſus perfidiae ſuſpicione liberavero.

XXV. Nunc ad Epiſcopos, quibus argumentaris veriſimiliter interceſſum. (*y*) Ab Legatis ne? Qui priorem Epiſtolam germanam eſſe manibus quodam modo tangentes, intelligere facilè potuerunt, idipſum hanc alteram eſſe, quae perſpicuè partem quandam referebat prioris Epiſtolae? Adduci ad id credendum nullo modo poſſum. Eòque minus, quòd haud perſpecta res eſt, incognita, & nunquam audita: Quae tamen eſſe non debuit, ſi ita, ut conjicitur, accidiſſet. Quod autem omnem dirimit controverſiam, illud eſſe videtur, quòd nulla ratio erat, unde hanc ipſam Epiſtolam Monothelitarum eſſe commentum vel Epiſcopi, vel Legati ſuſpicarentur, quoniam

(x) *Pag.* 168. *ſub Num.* 111. (y) *Pag.* 170.

Digitized by Google

niam nulla cauſſa erat, cur Monothelitae vel veram laudarent, vel comminiſcerentur infectam. Quae enim iis ab ea Epiſtola, ſeu vera, ſeu ficta, ſpes eſſet, qui cùm aliena darent pro ſe teſtimonia, ab Honorii maximè Scripto decerpta, unius erant Voluntatis aſſertione contenti? Illum ipſum, quem hujus Epiſtolae Architectum exiſtimare ſoles, attende ſua verba reſonantem: *Anathematizaverunt omnes, qui* UNAM VOLUNTATEM *Domini Noſtri adſtruxerunt. Quorum unus extitit Honorius Romanus, qui* UNAM VOLUNTATEM *manifeſtiſſimè praedicavit.* (z) Cui idipſum ſaepe repetenti praecinuiſſe Pyrrhum, Paullum, & ex Monothelitis quampluri-mos alios, niſi Epiſtola Pyrrhi ad Johannem IV. (*a*) & Paulli ad Theodorum (*b*) teſtes eſſent luculentiſſimi, ex Apologia Johannis IV. & è Congreſſibus Sancti Maximi planiſſimè, ut arbitror deprehenderetur. Quae licet rem totam apprime conficiant, è re tamen eadem fallaces hae ſunt binae Inſcriptiones: *Sermo Sanctae memoriae Mennae Archiepiſcopi Conſtantinopoleos ad Vigilium Beatiſſimum Papam Romanum, de eo, quòd* UNA SIT CHRISTI VOLUNTAS. (*e*) Altera: *Teſtimonia Sanctorum Patrum*, UNAM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI VOLUNTATEM DOCENTIA, *quae eſt etiam Patris, & Spiritus Sancti.* (*d*) Ad hunc autem finem, quem palam eſt, Monothelitas in eo Teſtimoniorum delectu ſibi praeſtituiſſe, quo illa modo pertineant, quae de unius, vel geminae operationis ſilentio commenti per-

(z) *Pag. 66.* (a) *Pag. 127.* (b) *Pag. 127.*
(c) *Pag. 60.* (d) *Pag. 61.*

Digitized by Google

ti perhibentur, tunc intelligam, cùm cognovero. Nonne Tibi praedixeram, nullam Monothelitis fuiſſe cauſſam, qua vel priorem vitiarent, vel alteram comminiſcerentur Epiſtolam? Quocirca Tibi nova, & de integro ineunda ratio eſt, quemadmodum Legatis & Epiſcopis confictionis alterius Epiſtolae ſuſpicionem movere poſſis.

XXVI. Nec mehercle multum illi confidas, quòd ea fuerit Orthodoxis ſimul & Monothelitis incognita; talis, ut inquis, non futura, niſi recèns conficta foret. (*e*) Nam hoc idem priori quoque accidiſſet, niſi Pyrrhi & Paulli uſu, (*f*) quem ſibi peperit ſola unius commemoratio Voluntatis, celeberrima fieret Graecis atque Latinis. Nec inſuper eo moveri debes, quòd Sergius in Ecthesi conſcribenda, & Paullus in Typo neutra Honorii Epiſtola uſi fuiſſe videantur; (*g*) quòdque nihil id aut Legatis, aut Epiſcopis ſuſpicionis attulerit; res enim eſt ſuapte natura planiſſima. Sergius & Paullus illa duo Scripta proprio nomine non ediderunt, ſed Imperatorum Eraclii & Conſtantis; (*h*) in quibus icciroo retinendus ipſis fuerat caracter Principalis Edicti; quod laici Principes demiſſum reputant, ſi alieno ſit vel teſtimonio, vel autoritate ſuffultum. Res, ut ego ſentio, arcanis nodis ultro citroque implicata haec eſt, quòd qui ante Sextam Synodum Ecthesim Typumque damnarunt, ſimillimas has ipſas Epiſtolas non itidem improbarunt. (*i*)

(e) *Pag.* 126. (f) *Pag.* 127. (g) *Pag.* 130. *uſq. ad* 135.
(h) *Pag.* 14. 30. 168. (i) *Pag.* 144.

XXVII. Non tenebo Te pluribus, nec enim XVI. Actionem diu morari me ſinam. In qua nullum vitium eſſe, mecum Tuipſe conveneris, ſemel ac animo reputaveris, Legatos niſi imprudentiſſimè, nequicquam ab Sexta Synodo pro Honorio rogare debuiſſe, qui priorem alienam ſimilem precem viventes praeſenteſque audierunt excluſam. (*k*) Quis, modò prudens velit haberi, occurrit certae repulſae? Hoc equidem mirari non deſino, Te iſtiuſmodi verbis: *Obſervemus Georgium, alioſque quoſdam Epiſcopos conatos fuiſſe ſubducere infamiae Sergium, Pyrrhum, Paullum, Petrum, quoniam fuerunt Conſtantinopolitani Epiſcopi, quàmvis peſſimi Monotheli-tae*; (*l*) Catholicos Epiſcopos, & jam uſque ab Actione VIII. omnes Catholicos, (*m*) quodamodo ſuggillare, qui ſcire debueras, ejus diſpenſationis autores ſe tunc Synodo fieri voluiſſe, qua Johannes IV. in ſua Synodo diù antea uſus fuerat, quamque Sanctus Maximus Pyrrho diu ante ſuggeſſerat. Cùm igitur omnem ſuſpicandi viam praeciſam Tibi videas, jam opinor intelligis, Legatis etiam, quin & Epiſcopis eſſe praeciſam. Ut proinde complecti optimo jure poſſim, nec rejectas ab Epiſcopis excuſationes Legatorum, nec preces ſuppreſſas quae ſimpliciter nimis, ac nullo teſte creduntur allatae. (*n*)

XXVIII. Ad reliqua modò alacres tendamus animo. Ad quae tamen abs Te ſubitò, & improvisò deſertus, (*o*) difficilius incedo; quippe qui ſolerem toto ſuſpicionum campo eodem Te duce vagari. Cur autem

---

(k) *Pag.* 75. (l) *Pag.* 75. (m) *Pag.* 63. (n) *Pag.* 170. (o) *Pag.* 76. & 77.

Digitized by Google

autem in XVI. Actione conſiteris, ac reliquas duas quieta mente conſpexeris, ubi Fidei Definitio vel edenda, vel ſubſignanda, utroque modo exitioſa Honorio futura, vehementioris Tibi eſſe debuit ſuſpicionis occaſio, difficilè intelligo, niſi haec ratio ſit, ut quemadmodum initio provideras ne citò nimis, ita provideres modo, ne ſuſpicionem tuam per ſaxa diutius ac dumeta compelleres. Sed quaecunque tandem ea ſit, erit ſemper incommoda, donec accuratius evolvas quî fieri potuerit, ut poſtremis hiſce, ſibique gravioribus Actionibus Legati tacuerint, qui Te autore, altè ſolerent in ſuperioribus reclamare. Eoſdem enim ipſos in extrema parte & concluſione muneris ac negocii ſui negligentiſſimos dabis, niſi eos id tandem obtinuiſſe docueris, ne ſcilicet in Fidei Decreto (*p*) anathematizandis Haereticis attexeretur Honorius: Vel repulſam paſſos iniquam, Legatorum Quartae Synodi exemplo, diſſenſione ſua, ac etiam è Synodo abſceſſu vim omnem, omnemque firmitatem decretae jam inſitioni praeripuiſſe. Quod cùm nec hujus Synodi Acta teſtentur: Nec Tu ullo ſuſpicatus ſis modo, adeò verum eſt, malè inſtitutam ſuſpicionem exitum reperire non poſſe: Cùm imo ſubſcriptiones ipſae (*q*) ſatis ſuperque ſignificent, Legatis volentibus, lubentibuſque conditum fuiſſe Decretum, nunquam illos antea reclamaſſe, clariore, quàm opus eſt, argumentatione colligitur.

XXIX. Rebus autem ita ſe habentibus, dubium ne eſt, quin univerſa ejuſmodi Patrum agendi ratio

D 2 nemi-

(p) *Pag. 76.* (q) *Pag. 76. ſub Num. IV.*

nemini unquam hominum improbanda ſit? Mea quidem ſententia, ne Johanni quidem Quarto, (r) ſi Is ad hujus Synodi tempora pertinuiſſet. Qui benigniorem Johannis potius Abbatis, quàm ſuam, mentis Honorii expoſitionem, ut erat aequiſſimus Pontifex, tot Patrum judicio praeponere noluiſſet. In quam ſententiam mecum ille deſcendet, cui compertum ſit, hanc ipſam Johannis Apologiam, vel ante celebratam Synodum Sextam, ſatis non fuiſſe ad eximendos penitus ſcrupulos ſuper Honorianae Epiſtolae ſenſu iniectos mentibus Romanorum: Ne ſuum quidem Autorem, ſi benè conjicio, licet tum vivum & Romae praeſentem. Rem S. Maximus narrat in ea, quae eſt ad Marinum Epiſtola. Ubi poſtquàm diu multumque, in exponendo Tò *Unam Voluntatem* in ſenſu catholico, deſudavit, haec è veſtigio ſubdit: *Et ego quidem ſic ſe illius habere ſenſum exiſtimo ab omni ſuſpicione purgatum. Certiorem autem mihi hunc Sanctiſſimus fecit Presbyter, Dominus videlicet Anaſtaſius Abbas, a ſeniori Roma reverſus, Vir ſcilicet incomparabilis, virtuteque divina & prudentia venuſtatus: qui aſſerens, quòd multum ſermonem moverit ad Sacratiſſimos magnae illius Eccleſiae Viros propter Epiſtolam, quae ab eo,* Honorio, *fuerat ad Sergium ſcripta, percontans cujus rei gratia, vel qualiter in ea inſerta fuerat una Voluntas: ET INVENIT HAESITANTES IN HOC, ET RATIONEM REDDENTES.* Quae ideo tranſcribere volui, ne quis inconſultè ac temerè ſuperiora affirmaſſe me dicat. Idque

(r) *Cap.* XVII, & XVIII.

que minus de me judicabit ; qui eâdem Apologiâ, ſine controverſia apud omnes jamdiu notiſſimâ, Monothelitas ab Honorii teſtimonio uſurpando ne vix quidem deterritos obſervarit. Verùm quia Macarii praeſertim impudentiam poſſes meritò cauſſari, Agatho ne? Aut ejus juſſione Legati Macario dicenti: *Quorum unus extitit Honorius Romanus, qui Unam Voluntatem manifeſtiſſimè praedicavit*, illam obiecère Apologiam, ſicut eidem, Mennae & Vigilii teſtimonio abutenti, Libellorum obiecère Commentum? (*s*) Et tamen Apologia recentior erat & pervulgatior confictione Libellorum. (*t*) Quid id cauſſae eſſe exiſtimas? Ego, quòd non ea tantidem apud illos fuerit, quanti Tu fuiſſe opinaris. (*u*) Quod eò magis perſuaſum habeo, quòd cùm certiſſimè credo quamplurimos ejuſdem Synodi Patres aequiores & ab omni invidentia remotos, neminem tamen lego, eam ceteris ſuggeſſiſſe, vel Macario ſimiliter obieciſſe. Iiſdem annumera Leonem II. Benedictum II. Johannem V. Hadrianum I. Septimam Synodum, Hadrianum II. Octavamque Synodum: Neve Anaſtaſium Bibliothecarium omittas, qui eidem Johannis Apologiae, quam ſibi gratulatur inventam, non tantum mihi fidiſſe viſus eſt, quàm fidere debuiſſet, ſi apud ipſum rem modis omnibus confeciſſet. Singula ejus verba, rogo Te, ne graveris expendere. *Ad manus noſtras*, ſcribit Praefatione in ſua ad Johannem Collectanea, *venire contigit Apologiam Johannis IV. Romani Pontificis pro Honorio Papa a Calumniatoribus impetito*

(s) *Pag.* 60. (t) *Pag.* 21. & 150. (u) *Pag.* 169.

petito quòd unam Domini Noſtri Jeſu Chriſti tantùm ſcripſerit Voluntatem. Quae videlicet Apologia ſatis hunc, ut reor, excuſabilem reddit, licet huic Sexta Synodus quaſi haeretico anathema dixerit, & in Dei ſolius jam judicio poſitum, reprobationis telo perfoderit. Cùm haereticus non ex erroris tantùm deceptione, quantùm ex electione non recta, & contentioſa pertinacia generetur. Quis autem erit qui nobis interim dicat, utrum ipſe pro certo dictaverit Epiſtolam, de qua illum anathematizandi fomitem Calumniatores ſuſceperunt, cùm ex Scriptoris indiſciplinatione, vel in Pontificem odio quid contingere tale potuerit? Quamvis non ignoremus, docente Sancto Maximo in Epiſtola ſua, quam Marino ſcripſit Presbytero, Sanctiſſimum hanc ſcripſiſſe Johannem Abbatem. Eſto & ipſe, Honorius, *dictator extitit; quis hinc illum interrogavit? Quis intentionem inveſtigavit? Quis hunc corrigere voluit? Et ille percontanti, aut emendare volenti, reſtitit, vel contentionibus ſerviens, reſultavit? Praeſertim cùm in Evangelio illo, quo dicitur: Nolite judicare, & non judicabimini, nihil aliud praecipi magnis etiam Magiſtris Eccleſiae videtur, niſi ut ea facta, quae dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Sunt quippe quaedam facta media, quae ignoramus quo animo fiant, cùm bono & malo fieri poſſint, de quibus temerarium eſt judicare, maximè ut condemnemus.... Sed ne videamur tàm Sanctam, tàmque Reverendam Synodum accuſare, vel temere reprehendere &c.* Quàm fluctuans hùc illhùcque ſententia! Et relatè ad Hadrianum II.

Sudans nitendo, nec proficit hilum.

Tu noſti quid dixerim, qui nihil horum hunc ſcis

Ponti-

Pontificem uſurpaſſe. Imo nec novam eam, quam dicti poenitens, & contumeliam corrigens, iniit Anaſtaſius rationem, quaeque de ſuſcipiendis Synodis, maximè Sexta, uſque duntaxat ad prolationem Canonum eſt. (x) Nempe Hadrianus multò novit melius ea Evangelii ſententia uti, quam Anaſtaſius in ſeipſo diſſimulans, Sextae Synodo libenter inculcat. In hac igitur Apologia jam haeſitantibus cunctis, haud leviter ipſe ſubdubito, quidnam Joannes IV. egiſſet, ſi ſe ſuperſtite celebrata ea Synodus foret.

XXX. Quid reipſa Leo II. egerit, ſi Te audio, nihil obſcurius. Non adprobaſſe quod in Sexta Synodo latum fuerat de Honorio judicium, haud multum invictè demonſtras: (y) Improbaſſe, quod magnoperè intererat, nullo, ne minimo quidem modo. Neutrum autem potes ſi maximè velis. Nam quod primum in ordine eſt, quove demonſtrari putas, Sancti Leonis ſuffragium huic Synodo defuiſſe, ſub initium xxvi. Capitis eſt. At inde captione depulſa, quid cenſes habere virium? Ut enim ea, quam ab Homine Gallo mutuaris, praeſumtio Tibi daretur: *Anaſtaſius ex Scriniis Apoſtolicae Sedis quid quiſque Pontifex Summus hac de re ſcripſit, cognoſcere potuit*, (z) quae falſa facto ipſo deprehenditur; Sumtionem tamen illam: *Idemipſe profeſſus eſt, Sextam Synodum, quatenus ad Honorii damnationem ſpectat, a Sede Apoſtolica non fuiſſe probatam*, (a) a quo exiſtimas admittendam? Ubi id Anaſtaſius profeſſus eſt? Nuſquam, quod ego noverim; niſi profeſſionem cum licen-

(x) *Pag.* 180. & 181. (y) *Cap.* xxv. (z) *Pag.* 183.
(a) *Pag.* 183.

Digitized by Google

licentiae opinione confundas: Id nempe Anaſtaſius opinatur de Sexta Synodo ſibi licere, quod Leo I. de Quartae ſuſceptione ſignavit; quodve Gregorius de Secunda, ac iterum de Quarta Gelaſius Papa deſcripſit. (*b*) *Opinor*, inquit, *licere*: quanquam longius, quàm licentiae termini ferant ſibi licere opinetur. Licuit quidem Gelaſio, Leoni, Gregorio, atque idipſum Leoni etiam Secundo licuiſſet, ſi repertus eſſet de Sexta ſimiliter ſignans, ſimiliterque deſcribens; licuit, inquam, uſque ad prolationem Canonum unam alteramve ſuſcipere, horum enim eſt certos fines Synodis conſtituere: At quis dixerit, idipſum licuiſſe Anaſtaſio? Qui eo loci credulum, cui verba daret, quaeſiſſe viſus eſt. Itaque argumentatio illa tua quaſi retrò, ac contra potius aſſumit quòd Anaſtaſius quid quiſque Pontifex hac de re ſcripſit, cognoſcere potuit; Nam cùm nihil cognoverit, quod contra rem eſſet, nihil contra hanc Synodum, aut hujus Synodi Patres ſcriptum eſſe optimo quiſque jure complectitur.

XXXI. Quod autem eodem loci ex Anaſtaſii opinione conſequens eſſe credis, eidem nempe Leoni abjudicandas eſſe, quae ejus nomine circumferuntur, Epiſtolas; (*c*) ad id vix habeo quid dicam. Dicam tamen, quod ſi commenta ſunt, Hominis commenta ſunt, qui vel Sextam Synodum ne a limine quidem ſalutavit: Vel ex ejuſdem Synodi benigniore ſemper interpretatione ſenſim conatus eſt parare praedamnato Pontifici minorem invidiam. Sed hoc aliàs.

Nunc

(b) *Pag.* 180. (c) *Pag.* 183.

Digitized by Google

Nunc de interpolatione Epiſtolae Sancti Leonis ad Conſtantinum, quam momentis multis compertam altero loco ſtatuis. Ubi tamen niſi argumentationem ita ducas, ut hanc ipſam Epiſtolam nedum acceſſione, ſed etiam ademtione deceſſioneque vitiatam ostendas, periiſſe neceſſe ſit Capitis XXVI. oleum & operam. Rem enim hùc jampridem adduxeras, ut probabile nunc, ni etiam certum habere debeas, Leonem nedum nihil tale ad Conſtantinum ſcripſiſſe, quod Honorii damnationem confirmet: Sed inſuper multum, quo de Epiſcopis ſuper eadem damnatione conqueratur. Quid enim non quereretur is Pontifex, qui ab Actis Sextae Synodi perquàm aegrè didicerat damnatum Honorium, quem ſe ſciente & prudente Johannes IV. & Sanctus Maximus ab omni errore peregregiè vindicarant? (*d*) Quem Agatho damnari inhibuerat? (*e*) Quem Legati apud Sextam Synodum pro virili defenderant? (*f*) Quem caſtè integrequè ſcribentem incorrupta oſtenderant Epiſtolarum exempla? (*g*) Quem odio, fraude, perfidia oppreſſum (*h*) ea, quae Legati in eadem Synodo ſuppreſſa indicarant, planè, perſpicueque docebant? Quem . . . . . Quid plura? Si vel Epiſtola Sergii ad Honorium Leonem vitiata (*i*) compellat, ne reſcribens ad Imperatorem, (*k*) Synodumque confirmans, verſutam atque fallacem Epiſcoporum agendi rationem ullo modo patiatur inultam? Vindicationem hanc graviſſimam, & ejus loci ac temporis propriam abraſiſſe neceſſe eſt, qui Honorii

dam-

(d) *Pag.* 21. 139. & 169. (e) *Pag.* 77. 163. 164. & 176.
(f) *Pag.* 170. (g) *Cap.* XXII. (h) *Pag.* 170.
(i) *Cap.* XII. (k) *Pag.* 183.

damnationem in Leonis Epiſtolam inferre volens; nihil itidem machinatus videri voluit, quod ab ejuſdem Epiſtolae contextu ſerieque abhorreret. Hoc, inquam, Graeculum veteratorem (*l*) effeciſſe debes oſtendere. Quod ſi facis, es mihi magnus Apollo. At fruſtra, credo, nitereris, ſimilem querimoniam ei Epiſtolae comparare, qua Leo II. Sextam Synodum amplectitur, exornat, exaggerat. (*m*) Unde, opinor, intelligis, leviter ac ſine cauſſa aliud quoddam Te filum Orationis expetere, ejuſque verba magis apta, magiſque connexa, ne Honorii damnatio inſolens & inepta ea in Epiſtola videatur. (*n*)

XXXII. Hocipſum jure abs Te exigeretur quoad reliquas duas ejuſdem Sancti Leonis Epiſtolas, ſi eaſdem aliqua in parte germanas admitteres. Verùm quia ſuſpicaris, utramque Leoni ſuppoſitam, (*o*) expendamus exhibitas ſuppoſitionis notas. In ea, quae ad Regem Ervigium eſt, falſam Indictionem non valde curo, quae citra Autoris vitium irrepere in Epiſtolam potuit. Tantidem & illud facio, quòd Dono Agatho ſubrogatur; facilè enim, & abſque tanta jactura hiſtoricae veritatis Is, cui Epiſtola redditur, Ei, cui data eſt, ſubſtituitur. (*p*) Hiſce minoris, ut celeriter utramque percurram, Tò *Ex totius Mundi Partibus*, (*q*) quod juxta uſitatam eccleſiaſticam phraſim *Orientem* ſonat & *Occidentem*. Minimi autem illud, quod Tibi viſum eſt bellè conjectum, mihi verò, ut tecum rectis ſenſibus eam, ſatis hiulcè jejunequè praetextum, quodque de inviſa Hiſpanis

Quin-

(l) *Pag.* 186. (m) *Pag.* 185. (n) *Pag.* 185.
(o) *Cap.* XXVII. (p) *Pag.* 189. 190. (q) *Pag.* 190.

Digitized by Google

Quinta Synodo eſt. (*r*) Si ita ſe res habuiſſet, ob idque Leo ab hac Epiſtola abſtinuiſſe debuerat, multò etiam magis abſtinendum ei fuerat ab Sexta Synodo ad eoſdem mittenda, ne ex ea miſſione majorem Quintae ſimul & Sextae apud eam Gentem pararet invidiam. Anne enim, ne hoc quidem animadverteras, quod legitur in hujus Definitione Fidei? *Super has & ultimae earum, Quintae Sanctae Synodo*, adhaerentes, *quae hìc congregata eſt adverſus Theodorum Mopſueſtenum, Originem, Dydimum, Evagrium, & Scripta Theodoreti adverſus duodecim Capitula laudabilis Cyrilli, & Epiſtolam, quae dicitur Ibae ad Marin Perſam*. Sed ne time: Quantumlibet Leo, & Sexta Synodus Quintam amplectantur & laudent, neutrum tamen Hiſpani averſabuntur Antiſtites; Qui ſcrupulis jamdiu depoſitis, licèt Quintam Synodum quinto loco non habeant, *quòd*, ut inquit Spondanus, *in ea nihil de fide, ſed de Perſonis tantummodo actum eſſet*: Ac etiam quòd *Eadem iis praetereunda ut non neceſſaria ad Dogmata viſa eſt*; re tamen ipſa intra OEcumenicarum numerum retinent. *Proſphoneticum* demum, quandoquidem brevis eſſe vellem, nec tamen obſcurus, unà cum Imperatoris *Edicto* (*s*) patere me inter *Geſta Synodalia* comprehendere, & *Epiſtolaris gratiae Conſulta, per quae omnis ordo geſtorum, geſtaque ordinum dilucidè ut acta ſunt, patuerunt*; (*t*) Sicque ſuppoſitionis notis ſua jejunitate confectis, ad hanc Confeſſionem haud invitus defluxeris, quod eſt, nihil invictè Te demonſtrare, Sanctum Leonem non adprobaſſe damnationem Honorii.

(r) *Pag.* 190. *uſq. ad* 193. (s) *Pag.* 193. (t) *Pag.* 194.

Unde ſuapte natura conſequitur, multo Te minus oſtendere, talem damnationem eundem Pontificem improbaſſe.

XXXIII. Ac ne diutius differam ſenſus palam nuncupare meos: Qui Te eodem fatente, (*u*) quî verò poſſes diffiteri? Sextae Synodi Definitionem Fidei, ſcribens ad Conſtantinum Imperatorem, ad Ervigium Regem, & ad Hiſpanos Antiſtites, confirmavit, amplexus eſt, commendavit, Is profectò nedum Honorii damnationem non improbaſſe convictus eſt, ſed & penitus adprobaſſe. Delirare me dices: Sed provoco ad hujus Fidei Definitionis initium: *Adinventor malitiae . . . . organa ad propriam ſui voluntatem apta reperiens, Theodorum dicimus, qui fuerat Epiſcopus Pharan, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, qui fuerunt hujus Regiae Urbis Antiſtites; inſuper & HONORIUM, qui fuit Papa Antiquae Romae, non vacavit per eos plenitudini Eccleſiae ſcandala ſuſcitare* &c. (*x*) Poſt admiſſam hujus etiam periodi adprobationem, quid amplius ſpectantia in Sancti Leonis Epiſtolis ad Honorii damnationem, aut eas ipſas Epiſtolas ab eodem abjudicare conaris? Si hoc igitur in quaeſtionem vocatur, ut inquis Capite xxv. ſub Numero 11. *An Sanctus Leo II. Epiſcoporum judicium in Honorii Cauſſa confirmaverit*, tuum etiam punctum tulero, qui hoc ipſum factum fuiſſe docuerim.

XXXIV. Quòd ſi Leo, quem non modò, ut Ipſe credere debes, Sergii & Honorii Epiſtolarum integritas,

---

(u) *Cap.* xxvi. & xxvii. (x) *Pag.* 76.

Digitized by Google

gritas, Johannis IV. & Sanċti Maximi Vindicationes, inhibens Agatho, referenteſque Legati, adderem ego, nec parum adderem, fraudum omnium fallaciarumque magiſtrum, ſtitum ſimul cum ſuis eidem Leoni, Macarium: (y) Sed triplex inſuper in tribus Epiſtolis oportunitas impellere planè debuerunt ut vindex coniurationis in Honorium fieret, nedum illum ſine defenſione reliquit, ſed & damnatum confirmavit, iterumque damnavit, quid Tibi reliqui vides, niſi aut Epiſcopos Sextae Synodi mecum abſolvere, aut unà cum illis Leonem quoque damnare? Ob hanc ipſam Sanċti Leonis confirmationem, ut licitum eſt opinari, Toletana xiv. poſt etiam longum examen ratam habuit & firmam Synodum Sextam: (z) Nec quàmvis lati, praeſertim contra reċtè defunċtos, Anathematis parum amici, quicquam ejus Synodi Epiſcopi apud Benediċtum II. ſuper Honorii Cauſſa conqueſti ſunt: Nec Johannes V. quanquam ad Sextam Synodum jam olim pro Agathone Legatus ab Leone II. in eadem aliquando diſſenſit: Nec Hadrianus I. in Septima Synodo Cauſſam Honorii promovit: Ob eamque rem Septima eadem Synodus Anathema renovavit: (a) Hadrianus II. iccirco Photio nihil oppoſuit, praeter: *Intolerabilis eſt iſta praeſumptio, Dileċtiſſimi, & hanc aures praecordiorum, fateor, ſuſtinere non poſſunt. Quis unquam Veſtrum tale quid, precor, audivit, vel quis hujuſmodi temeritatis, ſaltem leċtione, immenſitatem invenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Prae-*

(y) *Pag.* 79. (z) *Pag.* 188. (a) *Pag.* 105.

Digitized by Google

Praeſulibus judicaſſe legimus, de Eo verò quemquam judicaſſe non legimus. Licèt enim HONORIO AB ORIENTALIBUS POST MORTEM ANATHEMA DICTUM SIT, SCIENDUM TAMEN EST, QUIA FUERAT SUPER HAERESI ACCUSATUS, *propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorùm motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus liberè reſpuendi: Quàmvis* ET IBI NEC PATRIARCHARUM, NEC CETERORUM ANTISTITUM CUIPIAM DE EO QUAMLIBET FAS FUISSET PROFERRE SENTENTIAM, NISI EJUSDEM PRIMAE SEDIS PONTIFICIS CONSENSUS PRAECESSISSET AUTORITAS. (*b*) Verba ſunt Hadrianicae Epiſtolae, quam Octava Synodus adprobavit. Ob eam denique cauſſam in eundem Honorium Synodus Octava ſubſcripſit. (*c*) Accedunt in cumulum, Venerabilis Beda in Libro de Sex Mundi AEtatibus, Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Synodica ad Leonem III. Ado Viennenſis in Chronico, Humbertus Silvae Candidae Epiſcopus S. R. E. Cardinalis, Leonis IX. ad Imperatorem Orientis Legatus in Libro adverſus Nicetam Pectoratum, Cedrenus, Marianus Scotus, Hincmarus Remenſis, iique omnes, qui de Honorii damnatione & patienter audierunt, & ſine querela meminerunt.

XXXV. Nec ſi me audias, Te, ut hoſce omnes Epiſcoporum judicium non Sextae Synodi ſecutos opponas, in eam captionem inducas, quam nunquam explices, quave Epiſcopos diſtinguis a Synodo. (*d*) Praeter

(b) *Pag.* 198. *&* 199. (c) *Pag.* 206. (d) *Cap.* XXIV.

Digitized by Google

Praeter enim quàmquod laudatis nuper teſtimoniis id fruſtra praetenderes, & illud eſt, quod in re praeſenti inde perimitur, unde hauſta diſtinctio eſt. Hadrianus II. quo ad id abuſus potiſſimùm es, (*e*) Tibi primus occurrit, poſtremis dudum laudatis verbis conteſtans, hujuſmodi anſam non modo nunquam dediſſe Tibi, ſed & penitus praecidiſſe. Licèt enim Honorium damnatum ab *Orientalibus* dixerit, addidit tamen, tali id eos *Primae Sedis conſenſus autoritate* feciſſe, (*f*) quae ab eadem Prima Sede nemini unquam fieri, niſi Synodis aſſolet. Ut ſubinde facilè intelligas, quicquid ibidem fictae oppoſitionis agnoſcas, aut ex Anaſtaſii errore derives, (*g*) Orientales Epiſcopos & Sextam Synodum unum idemque Hadriano fuiſſe. Id, quod Anaſtaſio, nolenti etiam, è calamo excidit, dum in memorata pridem Praefatione explicavit: *Licèt huïc SEXTA SYNODVS quaſi haeretico anathema dixerit*. Quid modo eſt, quamobrem Damaſi, Xyſti III. Leonis Magni, Gelaſii, Gregorii itidem Magni laudes aequiſſimas regulas? (*h*) Cedò, quî verba Damaſi è Pſeudo-Ariminenſi Synodo ad Synodum OEcumenicam transferre ſine horrore potuiſti! Quî Xyſti cautionem a quavis Synodo ad noſtros Epiſcopos detorſiſti? Qui tèſte Hadriano II. nihil contra praecepta, ac diſſentiente ſive Agathone, ſive Leone, nihilque improvidi judicarunt?

XXXVI. Et Agathonis conſenſionem quod ſpectat, ſi quid aut conjiciendo, aut divinando proferre

---

(e) *Pag.* 177. (f) *Pag.* 198. (g) *Pag.* 200.
(h) *Cap.* XXIV.

Digitized by Google

re licet, in eo Epiſtolae loco Hadrianus eam forte deprehendit, ubi Agatho dicit: *Reſtat, ut error cum ſuis inventoribus*, ET IIS, QUI EORUM DOCTRINAM SEQUUTI SUNT PROPRIAE PRAESUMTIONIS POENAM EXOLVANT. Quod imitari ac tranſcribere Sexta Synodus viſa eſt, Actione XIII. Honorium damnare ſe dicens, *eò quòd invenimus per Scripta, quae ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſecutus eſt*: (*i*) Quodve renovat Actione XVIII. in Sermone Acclamatorio. Eo ferme modo, quo ſub hiſce verbis alterius Epiſtolae, quam ad Imperatorem ſuo, ſuaeque Synodi nomine dedit: *Qui haec confiteri noluerint, ut infeſtos Catholicae, & Apoſtolicae confeſſioni, perpetuae condemnationis reos eſſe cenſemus*, (*k*) Macarius, Stephanus, & Polychronius, de quibus Agatho nihil expreſsè mandaverat, certiſſimè comprehenduntur. Aut eandem conſenſionem in privatis illis ac ſecretioribus monimentis reperit Hadrianus, quae Agathonem Legatis ſuis dediſſe neceſſe eſt: Aut demum, quod ducerem probabilius, eam ipſam argumentatus eſt ex Epiſtolis Sancti Leonis II. minimè improbantibus, quin etiam, nunc enim & iſtuc dicere poſſum, ratum habentibus conſtitutum ab Epiſcopis de Honorio judicium. Utut eſt: *Nec Patriarcharum, nec ceterorum Antiſtitum cuipiam de Eo fas fuiſſet proferendi ſententiam*, NISI EJUSDEM PRIMAE SEDIS PONTIFICIS CONSENSUS PRAECESSISSET AUTORITAS. (*l*)

XXXVII. Sed

(i) *Pag.* 69. (k) *Pag.* 55. (l) *Pag.* 198.

Digitized by Google

XXXVII. Sed ut revertar ad Romanorum Pontificum praeſcriptiones: Cur Hadrianus II. qui tam diligenter, judicio tuo, Epiſcopos diſcrevit a Synodo, quique per certa documenta Acta jampridem Apoſtolicae Sedis, ſub Leone praeſertim, non potuit non habere comperta, illud Gregorii Magni non ad ſe traduxit, appoſitèque uſurpavit? *Romana Eccleſia Geſta Synodi Sextae*, quod attinet ad Honorium, *hactenus non habet, nec recipit*. (*m*) Cur non & illud adiecit? *Se ſubſcriptionem Epiſcoporum* habere *caducam*? (*n*) Cur non illud Leonis I. huic Synodo aptavit? *Credidit ſe poſſe inſolentes auſus per commentitia Scripta firmare*: (*o*) Quod Tu annos jam mille poſterior in eandem amuſſim convenire judicaſti? Quî Cauſſam Honorii *praeter cauſſas Synodalium Conciliorum* (*p*) potes agnoſcere? Quod nunquam Leo II. nunquam ſui ſimiles declararunt: Quodque nec Hadrianum II. ſenſiſſe unquam poteris comperire. Id ſcilicet quod hi Pontifices tam ſentire, aut declarare potuerunt, quàm Sextam Synodum ad cognoſcendam univerſam Monothelitarum Cauſſam, cujus Honoriana pars facta fuerat, coactam negare valuerunt. Eandem autem hanc Unicam Cauſſam, velis nolis examinandam ſibi commiſſam, tractantibus, ac verſantibus Epiſcopis, ubi ſunt *Quae per occaſionem Synodi malè ſunt attentata*? (*q*) Ubi *quae per incompetentem praeſumtionem audaciamque prolata ſunt*? (*r*) Quid eſt, quod *cupiditas improborum ſupra menſuram molitur accipere*? (*s*) Ubi tandem *quae Sedes Apoſtolica nullatenus delegavit*? (*t*)

 XXXVIII. Aga-

(m) *Pag*. 173. (n) *Pag*. 173. (o) *Pag*. 174. (p) *Pag*. 174. (q) *Pag*. 174. (r) *Pag*. 175. (s) *Pag*. 175. (t) *Pag*. 175.

XXXVIII. Agathonis ne praeſcripto horum omnium convincuntur Epiſcopi? (*u*) Cujus ſententia? Ejus ne, qui OEcumenicae Synodi ſolus eſt Judex? Cedo mihi, & illicò cauſſa cado. Interim quid Agatho praeſcripſit, attende: *Traditionem hujus Apoſtolicae Sedis: Apoſtolicae Fidei Confeſſionem*. (*x*) Scilicet hanc ſolam ita praeſcripſit, ut nemini fas fuerit quicquam *augere*, *minuere*, *vel mutare*. (*y*) Quod reliqua ſpectat, ſi Agatho ea perinde ut priora praeſcripſit, jam abſque Fidei Definitione, & Anathematiſmis in Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Petrum, Paullum, & Theodorum, *quarum omnium Perſonarum mentionem fecit Agatho Sanctiſſimus*, quaſque *nominatim abiecit*, ultra, imo contra ejuſdem Praeſcriptum erunt omnia, quae per Legatos, perque Patres, decemet octo Actionibus geſta ſunt. Sicque temerè, ac prorſus iniuria Libelli Mennae & Vigilii, Sanctorum Patrum Teſtimonia, Scripta Monothelitarum, Macarii, Stephani, Polychronii fides, & ſiquae ſunt alia, aut in diſquiſitione ponuntur, aut anathemate feriuntur. In ſumma, unica Actione haec Synodus debuit abſolvi. Sed quid plura diſputo? Niſi Leo II. horum omnium prudentiſſimus, perinde ut res meretur, utque de ſua quaque Synodo feciſſe leguntur Damaſus, Leo I. Xyſtus III. Gregorius Magnus, aliter indicaverit, fruſtra aliud Praeſcriptum quaeritur, (*z*) quod Sextae Synodi Epiſcopi minus religiosè obſervarint. Ipſi enim nobis apertè aſſentiamur, ſi eos in crimine nos deprehendiſſe confidimus,

(u) *Pag.* 176. (x) *Pag.* 54. (y) *Pag.* 54. (z) *Pag.* 176.

Digitized by Google

dimus, (*a*) qui tandiu haberi debent in Chriſti Nomine congregati, tandiu afflatu Spiritus Sancti in Actis ſingulis ducti, quoad ore Romani Pontificis ſecus rem ſe habere conſtiterit. Perperam igitur in Epiſcopis Sextae Synodi, non minus ac ſi proditores eſſent, ea exprobras vitia, quae in Secundae, Tertiae, & Quartae Synodi Epiſcopis Summi Pontifices retexerunt. Perperam ſemper aliàs, ſed nunc maximè, Patres ab Synodo dividis. Perperam jaciens in Epiſcopos iniquiſſimae coniurationis notam, eò ubi Sexta Synodus eſt, non collineaſſe propinas. Perperam denique, fluens eodem tenore dicendi, & iniuriae tenens aequabilem rationem, de Septimae, Octavaeque Synodi autoritate detrahis ac dignitate. (*b*) Dolenter haec dixi potius, quàm inimicè. Quî enim dolere non debeo, una vel altera cauſſa, ſemper tamen leviſſima, detractum debitum Sextae, Septimae, Octavae Synodo honorem? Quae nedum de Catholica Fide optimè meruerunt, ſed inſuper Agathonem, Leonemque, Hadrianum I. Alterumve Hadrianum, unoque verbo, Apoſtolicam Sedem multis praeclariſque monimentis ad omnem memoriam commendarunt? Quî poſſum aegrè non ferre id dedecus, quod certè haeret infamiae, trium Synodorum Epiſcopis, quantumlibet Graecis, (*c*) tanto ſtudio quaeſitum, inter quos mirifica ſanè conſenſione & voluptate Apoſtolicae Eccleſiae ſederunt, praeſederuntque Legati; & in quorum Decretis nedum Pontifices, quos modo poſuimus, nequicquam quod reprehende-

F 2

(a) *Pag. 77. lin. 22. & 176. lin. 9.* (b) *Pag. 205. & 206.*
(c) *Pag. 206. lin. 14.*

Digitized by Google

henderent, invenerunt; ſed confirmatione etiam ſua veneranda a nobis eſſe voluerunt? Quis diſſimulare iſta poſſit, aut non dolere? Horum Epiſcoporum, Synodorumque vices uſque dolebo, dum intellexero ſortam iiſdem praerepti honoris uſuram.

XXXIX. Nec profecto ſum neſcius, Te in poſterum tentaturum ſaltem multis illuſtrium Virorum Elogiis Sextae Synodi autoritati praeſcribere; (*d*) ne ſcilicet audeat in Honorium proferre ſententiam, in quem illud Stephani eſt: *Excitavit Deus non mediocriter Apoſtolicos Praeſules in commonitione, necnon conteſtatione praedictorum Virorum, licet nullo modo eos flectere potuerunt.* (*e*) Cui Martinus I. & Agatho concinunt. Primus quidem *A Sergio*, inquiens, ... *execranda & abominanda haereſis pullulavit, quam Succeſſor ejus Pyrrhus in deterius auxit. Pro qua re ſaepius Apoſtolica Sedes perſuaſionibus, conteſtationibus, atque increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus ab hujuſmodi errore recederent, & ad lumen pietatis ex quo lapſi ſunt, remearent.* Alter autem: *Apoſtolicae memoriae meae parvitatis Praedeceſſores, dominicis Doctrinis inſtructi, ex quo novitatem haereticam in Chriſti immaculatam Eccleſiam Conſtantinopolitanae Eccleſiae Praeſules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari, atque obſecrando commonere, ut a pravi dogmatis haeretico errore ſaltem tacendo deſiſterent, ne ex hoc exordium diſſidii in unitate Eccleſiae facerent, Unam Voluntatem, unamque operationem duarum Naturarum aſſerentes in uno Domino Noſtro Jeſu*

(d) *Cap.* XXII. (e) *Pag.* 154. & 162.

Digitized by Google

Jeſu Chriſto. (*f*) Et de cujus Monothelico Dogmate Johannes IV. apertè praedixerat: *Quod a mente Catholici Patris erat penitus alienum*: (*g*) Quemque inter Pontifices Summos Monothelitas a pravo errore precibus retrahentes Sanctus Maximus numerat: *Quid autem*, inquiens, *& divinus Honorius?* (*h*) Quique demum eam rexit Eccleſiam, *quae*, ut Agatho inquit, *per Dei Omnipotentis gratiam a tramite Apoſtolicae Traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec haereticis novitatibus depravata ſuccubuit*. An non benè praeſagit animus hiſce etiam Te uſurum Elogiis, ut Sextam Synodum doceas praeſcriptionem in hac Cauſſa, moderationemque tenendam?

XL. Quam equidem Tibi & ipſe adſentirer, ſi in Lateranenſi Concilio, ubi Elogium Stephani legitur, (*i*) Sanctus Martinus I. eodem adverſus Paullum Conſtantinopolitanum, Honorium pro ſe in ſua jactantem Epiſtola, (*k*) uſus itidem legeretur. Sed quid minus? Qua re, niſi Stephanum, Sophronii quondam Legatum, ſuis illis verbis aliò reſpexiſſe certiſſimè crederem, aequo ſanè animo ferre non poſſem, factam ibidem jacturam oportunitatis optimae, cunctae videlicet ſuſpicionis ab *excitato Pontifice* (*l*) removendae. Utinam verò Honorii purgationem, praeter judicii ſolemnitatem ab Johanne IV., & Sancto Maximo inventam adornatamque, in Synodali Lateranenſi Judicio abſolutam perfectamque haberemus! Tunc enim praereptam Sextae Synodo occaſionem, & Oſoribus Apoſtolicae Sedis anſam Honorii vellicandi immortaliter gaude-

(f) *Pag.* 163. (g) *Pag.* 145. (h) *Pag.* 162.
(i) *Pag.* 162. *lin.* 12. (k) *Pag.* 28. (l) *Pag.* 162.

gauderemus. Id, quod nequidem nobis ex ea contingit hortandi, commonendique diligentia, quàm Martinus, Agathoque commemorant; quippe quae ſi ad Honorium quoque referri debet, ad ſummum Martino & Agathoni unum idemque eſt, ut Agatho ipſe non obſcurè ſubindicat, ac denunciatum, ſeu verius, ſuaſum ab Honorio ſilentium. Nempe *Unam Voluntatem* prioris Epiſtolae juxta expoſitionem Johannis IV. & Sancti Maximi ambo ſinentes tutè decurrere, ſpretam Monothelitis exprobrant Honorianam ſilentii oeconomiam. Hùc etiam recidit quod Sanctus Maximus dixiſſe laudatur. Hinc autem nulla id ratione me movet, quo Gregorium Imperatoris Legatum Sanctus Maximus interpellat: *Non patiuntur Romani auferri unà cum impuris haereticorum vocibus Sanctorum Patrum lucíferas voces*: (*m*) Aut quod in Theodoſium invehens, inquit: *Quis fidelis ſuſcipit diſpenſationem taceri facientem voces, quas dici per Apoſtolos, & Prophetas, atque Doctores Deus omnium diſpenſavit*. (*n*) Nihil, inquam. Praeter enim quàmquod alia propugnandi ratio eſt, alia oppugnandi, & illud eſt, quod relatè ad Honorium, ſilentium denunciaſſe, ſeu melius, ſuaſiſſe, pro recta oeconomia haberi facilè potuit; Nam ſubobſcuris initio rebus, quanquam id ſpe itidem ſubobſcura penderet, intentum tamen felicem exitum poterat forte nanciſci: At cùm jam res in apertam proceſſerat haereſim, cùmque jam Ecthesis ſatis oſtenderat ſilentii deteſtabilem rationem, per Summos etiam Pontifices, Severinum, (*o*) Johannem, (*p*) Theodorumque (*q*) improbatam;

(m) *Pag.* 134. (n) *Pag.* 135. (o) *Pag.* 18. (p) *Pag.* 20. (q) *Pag.* 23.

Digitized by Google

tam: Cùmque demum Apoſtolorum, Prophetarum, Doctorumque (r) vocibus praelegendis cuncta reboaret Eccleſia, fruſtra reviviſcentem in Typo ſacrarum etiam vocum ſuppreſſionem Theodoſius, Gregoriuſque ſperare auſi ſunt cuiquam Fidelium, Romanorum maximè, placituram. De Johanne IV. ſatis jam antea dixiſſe confido.

XLI. Eò nunc ventum eſt, ubi ſi Honorium quoque comprehenderis, quàmlibet veriores etiam fraudes, violentiaſve conteſtans, modis omnibus eviciſſes, contra jus contra fas anathema Honorio dictum, ea tamen Boſſuetii, ſive cujuſvis alterius, complexione tenereris, quam ille audacius cenſet invictam, quamque Tu poſtremo Capite exploſa jam diſtinctione Epiſcoporum a Synodo inanius contendis everſam. Ubi enim Honorius, priorem illam vel in ea tantum parte qua germana conceditur, ſcribens Epiſtolam, cum Eccleſia Romana; ſeu Apoſtolica Sede confunditur: Haec verò, juxta Agathonem poſtremo loco laudatum, juxtaque ceteros Romanos Epiſcopos Generales Synodos ſimiliter alloquentes, cum Pontifice Summo ex Cathedra docente, ac ferente de rebus Fidei Judicium, fruſtra vis illius complexionis effugitur; cùm parum referat, an Synodus in Epiſcopis, an in Synodo Epiſcopi, an Orientalis in Ipſis Eccleſia jure Honorium ob unius profeſſionem voluntatis, an iniuria damnarint, ut quis legitimè complectatur, creditum tunc temporis eſſe, Romanos Pontifices errare poſſe cùm de Fide pronunciant. En quo-

(r) *Pag. 135. lin. 21.*

quomodo contortula illa minutaque concluſiuncula ; niſi aliò reſponſionem tuam derivare ſtudeas , manifeſtò teneris . Id , quod vel ipſe timuiſſe ſatis oſtendis , dum eodem poſtremo Capite , poſt flexiones aliquas & diverticula , iterum , aliter planè diffidens , Epiſcopos diſtinguis a Synodo . Cui & ego iterum illud oppono , quòd nec his diſſenſere Legati , nec ullus Romanorum Pontificum reclamavit .

XLII. Tibi nunc gratulor , idque ſummoperè gaudeo , ac etiam in Tua laude pono , quòd ultimò tandem , emendans quod Pagina 88. ſeveriſſimè in Cano notaveras , ad id , quod res eſt , hoc eſt , ad *Privatam Honorii Opinionem* (s) confugiens , ſpem omnem Boſſuetio idipſum deinceps complectendi praeciſeris , Remque Pontificiam meliore loco volueris . Quod etiam vellem , ni voluntas arrogans videatur , Te tuaemet Defenſioni audacter liberèque praeferre . Hac enim via , haud ſanè praecipiti neque praerupta , ut Ipſe de ceteris opinaris , (t) ego de tua , & redditus fuerit Sextae Synodo debitus honor , & ſalva tutaque fuerit vel in Honorio Romana Apoſtolica dignitas , & in unoquoque Petri Succeſſore inerrans ſemper Autoritas . Qua eadem via , ſimplici nimirum atque directa , eò tecum libentius incedo , quòd quicquid mali Sexta Synodus in Honorii deprehendit Epiſtolis , nedum Synodus ipſa ad privatam Honorii Opinionem retulit , quod Tu appoſitiſſima ac veriſimillima aſſequeris coniectura , ſed & ipſi Monothelitae , imo & petulantiſſimus omnium Macarius : Et quod plus etiam eſt,

(s) *Pag.* 213. *lin.* 6. (t) *Cap.* IX. & X.

eſt, nemo horum omnium, ut etiam cuncta conatus eſſet, potuiſſet aliò referre. Quid enim in Literis Honorii (*u*) Pontificiae, ſolemnis, praeſcribentiſque Definitionis refert inſigne? In quibus Ejuſdem verbis ſita legitur ſolemnis forma Judicii? Ediſſerat, explicetque Nobis Gallicanae Declarationis Defenſor. Fruſtra certè perquiret quod nequidem Macarius, qui utraſque perſpexit, ulla valuit ratione invenire. *Unam Voluntatem*, inquit Macarius, *manifeſtiſſimè praedicavit*: (*x*) Non autem, *manifeſtiſſimè definivit*: Huic, vel conſimili verbo mordicus adhaeſurus, cujus vim ignorare non poterat, erat enim in Patrum Operibus verſatiſſimus, ſi quid tale in Honorii Literis offendiſſet. Quî autem potuit Honorius aliquam Definitionis notam ſuis Literis interſerere, qui Sergio reſcribens, nullum quod ipſi ſciamus, adiumentum vel divinum, vel humanum publicè ac de more imploravit? Qui nulla particulari Synodo, ut moris tunc temporis in ſimilibus Definitionibus, vel etiam Proſcriptionibus, fuiſſe ab Johanne IV. (*y*) Theodoro, (z) Martino I. (*a*) & Agathone (*b*) didicimus, nulla inquam, reſcribendo uſus eſt? Qui cuncta neglexit, nihilque curavit, unde ſuae ipſius Epiſtolae vim obtinerent certi ratique Decreti? *Unam Voluntatem*, inquit, *fatemur Domini Noſtri Jeſu Chriſti . . . . Veraciter confitentes, Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum unum operatorem Divinae, atque Humanae Naturae . . . . Haec Nobiſcum Fraternitas Veſtra praedicet, ſicut & Nos ea Vobiſcum unanimiter praedicamus; hortantes Vos* &c. Siccine definitur?

(u) *Cap.* XIII. & XIV. (x) *Pag.* 66. (y) *Pag.* 20.
(z) *Pag.* 23. & 27. (a) *Pag.* 32. (b) *Pag.* 52.

nitur? Siccine de Fide decernitur? Iſtuc ſaltem adderetur, quod definiens Agatho inquit: *Ut nihil profecto praeſumant augere, minuere, vel mutare: Sed Traditionem hujus Apoſtolicae Sedis, ut a Praedeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſinceriter enarrare . . . . Qui haec confiteri noluerint, ut infeſtos Catholicae, atque Apoſtolicae Confeſſioni, perpetuae condemnationis reos eſſe cenſemus*. Nihil profecto minus. Pro quibus ſub Numero v. prioris Epiſtolae haec Sergio ſignificat, abſque ſcilicet *Synodali examine* unuſquiſque propoſitam tunc Quaeſtionem, in ſenſu ſuo abundans, ſecundùm propriam ſententiam explicare videtur. Et Numero II. & III. alterius Epiſtolae Sergium, alioſque hiſce verbis admonuit: *Non unam, vel duas Operationes debemus definire . . . Non oportet unam, vel duas Operationes definientes praedicare*, tantum abeſt ut intenderit definire: Quocirca utrumque Honorii Scriptum in inſinuationem cohortationemque aptiſſimè partiremur. Hinc quid conſequatur ab aeternis etiam receptaculis ipſe per ſe Defenſor intelligit; Quod eſt, hebeſcere, vietamque fieri, quam tenuit, argumentandi, concludendique rationem.

XLIII. Ex tam longa notatione Sextae hujus Synodi hic idem Gallicanae Declarationis Defenſor poterat, credo, didiciſſe, quàm egregiè Generales Synodi cum Summis Pontificibus, qui propriè, veréque definiunt, ſemper egere. Nec enim praeterire illum debuit, quod Sexta Synodus lubens & annuens Actione II. ab Legatis audivit, quodve nulla unquam inobſcurabit oblivio: *Ecce manifeſtè duas naturales Operationes, inconfusè, & indivisè in Domino Noſtro*

Noſtro Jeſu Chriſto praeſens Sanctiſſimus praedicat Pater, Eccleſiae Praeclariſſimus Doctor, Sanctus Leo I. *cujus praeſentem Sermonem SANCTA QUARTA SYNODUS FIRMAMENTUM ORTHODOXAE FIDEI INSCRIPSIT, ET DAMNATIONEM UNIVERSAE HAERESIS, utpote Profeſſioni Beati Principis Apoſtolorum Petri convenientem*. (*c*) Quid Actionem octavam commemorem? Ubi quiſque ſubſcribens non modò ut antea, cernitur hilaris & ſtudioſus auditor, ſed & laudator ſectatorque Agathonis? Quid XIII.? Ubi tanti Pontificis Literae Judicibus inſigniter commendantur? Quid duodevigeſimam, in qua quicquid in Synodo perfectum eſt, Sancto Agathoni tribuitur, praeſcribentique ejuſdem Autoritati gratiſſimè, ut par erat, refertur acceptum? Quid inquam? Quandoquidem ſi Epiſcopi ſemper alibi tacuiſſent, eam tamen rationem Pontificis Summi, ejuſdemque Praeſcripti, in Proſphonetico ad Principem inveniuntur habere, quam nulla fortaſſe alia Synodus legitur habuiſſe. Prae tamen ceteris, Synodicis utor, ubi Epiſcopi Pontificiam Autoritatem ita incredibiliter efferunt, ut ex uno ore Agathonis, ex uniſque ejuſdem Literis, tanquam ex certiſſimo Oraculo pependiſſe glorientur: Utque dubium nobis reliquerint, an Synodus per Literas Agathonis, an Agatho per Sextam Synodum de Monothelitico triumpharint errore. *Maximi*, inquiunt, *morbi majoribus indigent auxiliis; atque idcirco Chriſtus verus Deus Noſter ſapientem dedit medicum Veſtram a Deo honora-*

(*c*) *Pag.* 59.

tam Sanctitatem, contagia haeretica ſuis fortiter propulſantem remediis, orthodoxiae ac valetudinis robur membris Eccleſiae largientem. O ſententiam nunquam ex animo excidendam! *Itaque Tibi, ut Primae Sedis Antiſtiti Univerſalis Eccleſiae quid gerendum ſit relinquimus ſtanti ſuper firmam fidei Petram*. O mirificam recentiorum temporum coecitatem! *Libenter perlectis,* non examinatis expenſiſque, *verae Confeſſionis Literis a Veſtra Paterna Beatitudine ad piiſſimum Imperatorem miſſis; quas ut a Summo Apoſtolorum Vertice divinè perſcriptas agnoſcimus; PER QUAS exortam nuper multiplicis erroris Sectam haereticam DEPULIMUS; Conſtantino nobis ad decernendum HORTATORE, qui divinè imperat, quo ADIUTORE impietatis errorem evertimus haereticorum nefariam doctrinam quaſi obſidione adorti. INDE fundamenta execrandae haereſeos eorum prorſus convellentes, eoſque armis ſpiritualibus paterniſque aggredientes, & linguas eorum, ne inter ſe accomodatè loquerentur, confundentes, extructam ab iis impiiſſimae haereſis turrim ſubruimus: ac ipſos ut lapſos circa fidem, ac peccatores, in matutinis extra caſtra Atriorum Dei, ut davìdicè loquamur, anathematibus interfecimus, EX SENTENTIA PER SACRAS VESTRAS LITERAS DE IIS PRIUS LATA*. Quibus omnibus vel ipſae Imperatoris Literae mirabiliter concinunt. Niſi ſtatuiſſem non proſequi longius, quàm haec Synodus protendatur, ſeu melius, quàm noſtrae hujus Epiſtolae materies expoſtulat, plurima heic horum conſimilia congererem ex omnibus OEcumenicis Synodis ad hanc rem mihi collecta, perque varias Diſſertationes diſtributa, quibus ſententiam ſufficientem ejuſmodi Synodis Ponti-

tifi-

Digitized by Google

tificiam Autoritatem domi foriſque oppugnavi. Sed niſi fortuna ſemper futura ſit inclinata, oportunius id fiet publicis Typis.

XLIV. Unde parumper, nec tamen inutiliter, digreſſi ſumus, ad Epiſcopos redeamus. Quid eſt, quòd Honorii privata iſthaec opinio, privatuſque in ſilentium impenſus favor, pluſquàm error ab Sexta Synodo deputetur, cùm tamen Johannis IV. Sanctique Maximi perſpectis ſine dubio tramitibus (*d*) accipi ſine offenſione potuerit, cauſſa latet, omnium taciturnitate involuta illius AEtatis. Quae tamen cunque ea fuerit, communis Agathoni eſſe debuit, itidemque Legatis, ſingulis Patribus, Synodo univerſae, ac Leoni II. ni etiam, & forte prae cunctis, Martino I. & Lateranenſi ſub eodem Synodo. Quam igitur indictam Hi reliquerunt, nonniſi temerè ipſe divinare praeſumerem. Quod ab omni praeſumtionis nota poſſum immunis aſſerere, hoc primùm eſt, cuncta nempe quae dixi ſatis idonea eſſe ad eliciendum a quolibet, & tanquam exprimendum, quod aut verum eſt, aut ad id proximè accedit, quod eſt, Epiſcopis Sextae Synodi non integritatem ab initio, non fidem ad extremum defuiſſe. Deinde, quòd in literis Sergii & Honorii tam verbis verba reſpondent, ſententiae ſententiis, rationibus rationes, ut alterutrum neceſſe ſit, vel ex eodem capite utrumque defendere, vel ex eodem utrumque damnare. Quam convenientiam jam uſque ab x. & xii. Capite, vel Ipſe praevideras, ubi labore conſimili idem abs Te Epiſtolae Sergii ſubiector inducitur, ejuſ-

(d) *Cap.* xxi.

Digitized by Google

dem ad fallendum ſimiliter verba componens. Aſt ego tam novam iſtam confictionem non admitto, quàm illam hactenus oppugnavi: Imo quàm Tuipſe ad hanc propugnandam affers leviora momenta. Sicuti ſemper aliàs, ita & nunc Te autore uti volo. Quid eſt, quòd Capite XII. ſub numero V. ex Johanne IV. complecteris? Nonne? *Sic texuit Epiſtolam Sergius, ut apud Honorium quoſdam criminari videretur, qui duas in Chriſto contrarias Voluntates dicerent .... Nihil igitur de una vel duabus operationibus*. Retine utramque complexionem; ſimulque vide, quid Te etiam invito ac diſſentiente inde fluat. Igitur in ea, quae integra fuerat Epiſtola Sergii, nec *Commonefactum* legebatur, nec *Oblatum*, nec *Oſtenſum*, neque *Porrectum*: Uno verbo, nihil, quod ad mentionem Libelli Mennae ad Vigilium poterat attinere. Quid ita, rogas? Hem! Ut quid, eò duntaxat ſcribens, ut ad Honorium quorundam de pugna Voluntatum contentionem referret, Libellum Mennae laudaret? Ut quid, inquam, qui unius, vel geminae operationis nihil decrevit innuere? Commentitius Libellus, ſi benè illum novi, totus de Una Voluntate eſt, totuſque in unius operationis aſſeveratione verſatur. Unde planè confit, alieno prorſus ab ſimplicis Relatoris conſilio, quin & aliena manu, mentionem hujuſce Libelli ea in Epiſtola reperiri. Id, quod Ipſe tanquam legitimum confectarium, Te tamen eodem, & Sancto Maximo reclamantibus, probare teneris, apud quem Sergius ſimplicis Relatoris, aut ad ſummum Accuſatoris nomen obtinuit. Tibi, quaeſo, Te redde, & dimiſſa jejuna concertatione verborum, noſce tandem, id Sergium ea Libelli commemoratione concludere, tectè licet ac vitio-

vitioſè, quod Una Voluntate, Unaque Operatione ſuadenda admodum valet; quodque cum reliqua Epiſtola miro prorſus modo cohaeret. Attende ut Libellus Inſcribitur: *Sermo Sanctae Memoriae Mennae Archiepiſcopi Conſtantinopoleos ad Vigilium Beatiſſimum Papam Romanum, de eo, quòd UNA SIT CHRISTI VOLUNTAS.* (e) Nec ſane opus ab intentione diſcordat, ni mentitus eſt Sergius, cùm eundem Libellum commemorans, inquit: *Habentem & diverſa teſtimonia paterna* DE UNA OPERATIONE, ET UNA VOLUNTATE SALVATORIS NOSTRI. (f) Annum adhuc obſcura res eſt, an hiſce verbis plus velit Sergius, quàm Conflictum Voluntatum unicè Honorio referre? Eum inquam, Conflictum, quem ut videre eſt numero xx. ejuſdem Epiſtolae, (g) idem Patriarcha *ex duplici Voluntate*, ſua, non aliena argumentatione concludit. Attamen tantundem, inquis, ex Johannis IV. Apologetica narratione deprehenditur. (h) Sed quis non videt, magno ibidem incommodo, eidemque notiſſimo, remedium quaeri? Nec ſi Conſectarium Sergii ſub praefato numero attenditur, omninò praetextum. Quantum autem apud Agathonem, Legatoſque ſuos, Sextae Synodi Epiſcopos, Leonem II. & reliquos omnes, quos certiſſimè latere non debuit, remedium tale profecerit, Tute ſcis, qui ne comminiſci quidem potuiſti, qui contra ſive corruptionem, ſive confictionem Epiſtolae Sergii, cùm Actione xII. legeretur, aliqua ratione declamarit. Neque profecto ſtabilior eſt machina, quam ſuper *Commonefactum* ſtudes erigere; (i) Verborum namque

(e) *Pag.* 60. (f) *Pag.* 94. (g) *Pag.* 98.
(h) *Pag.* 106. 107. (i) *Pag.* 104. 105.

Digitized by Google

namque varietas ex amphibolia graecae vocis oriri facilè potuit, unde quiſque quod magis ſibi arridebat quivit expromere. Hinc Latinus Interpres nec *Commonefactum* vertit, ut jure Sancto Maximo placuit; nec *Oblatum*, ut Pyrrho; ſed commodè *Porrectum* reddere potuit.

XLV. Modò integritati ſuae reſtituta Sergii etiam Epiſtola, illud Tibi arroga, quod Capite IX. ſub numero III. de Turrecremata pronuncias: *Si qui tamen ita ſentiunt, perdifficilem ac lubricam Defenſionis rationem ſibi proponunt; ſeque ipſi in eas anguſtias conjiciunt, ex quibus vix evadere poſſint. Nam verendum eſt maximè, ne quis illis regerat, tale quid fortaſſe accidere potuiſſe etiam Nicaeni, aut Epheſini Concilii Patribus, qui Arii, vel Neſtorii Scripta ſecus atque Arius, vel Neſtorius ſenſerit, acceperint. Scopulum hunc &c.* Quodve Capite X. numero I. *Mitto illos, qui Literas Honorii nomine in Sexta Synodo lectas ab Epiſcopis perperam acceptas fuiſſe commenti ſunt: Iſti enim licet Honorium omnino abſolvere conentur, Conciliorum autoritatem imprudenter labefactant, quod nemo probare poterit.* Id, quod noſtra hac AEtate in Romanis Pontificibus comminiſcitur maxima eorum pars, quos addictos habet Iprenſis Epiſcopus. Fortaſſe majoris otii materies. Interim dolet Horatio, quòd non

Ad Te poſt paullò ventura pericula ſentis:
Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Haec, inquam, deinceps Tibi poteris arrogare; Quippe ſi in Turrecrematam conveniunt, eò quod ſenſerit Epiſcopos, affingendo Honorio in proprio Scripto alienum errorem, reipſa deceptos lapſoſque errore intellectus: Quî non in Te quoque convenerint,

rint, cujus eſt ſingularis, vulgata, nec vacua celebritate Sententia, (*k*) eò turpius lapſos Epiſcopos, quò per eoſdem, volentes, ſcilicet, lubenteſque, Haereticis licuit in alieno Scripto affingere Honorio alienum errorem? Quin & affictum pro vero proprioque decurrere? Cum Viro loquor ingenio praepotenti, atque in Canonum doctrina praecipuo, quem iccirco Regulam Juris latere non poteſt: Cumque Autore Capitum xxiii. & xxiv. in quo praeſertim ad Numerum 1. Sextae Synodi Patres ita notantur: *Quamvis Honorius I. Pontifex Summus in Monothelitarum Cauſſa non ſolum ab haereſis vel leviſſima ſuſpicione, ſed ab omni etiam negligentiae culpa remotus fuerit, illum tamen Epiſcopi in Sexta Synodo propter duas illas Epiſtolas eidem affictas*, Cur, memor Capitis xii. non etiam Sergium ſimiliter purgas? *Anathemate multare non dubitarunt*, NULLA DISQUISITIONE, ANIMADVERSIONE, DILIGENTIA ANTE ADHIBITA, UT NEQUID TEMERE' ET INCONSIDERATE' AGERENT. QUINIMO CUM MULTA ILLIS ANTE OCULOS VERSARENTUR, QUIBUS DE LITERARUM EARUM SUPPOSITIONE SALTEM DUBITARE POSSENT; NULLA EORUM TAMEN HABITA RATIONE, NEQUE COMPERTO LITERAS ILLAS HONORIO ADSCRIPTAS AUTOGRAPHAS ESSE; SED QUASI ROMANUM PONTIFICEM DAMNARE GESTIENTES, HONORIUM TUMULTUOSISSIME' ADORTI SUNT. Apagè! Quis Fidelis a Synodis non timebit? Quis Haereticus non invehetur in Synodos?

(K) *Cap.* XXIII. & XXIV.

no ios? FACTUM AB EPISCOPIS INCONSULTE', TEMERE'., ATQUE ETIAM, SI DICENDUM EST MAGIS APERTE', bona verba qnaeſo! INIQUISSIME'. Quem, oro, cui cor eſt modeſtè ſitum, non horum omnium ſuppudet? Nec veteri illa diſtinctione, ut rem deterrimam tranſiliat oratio, Epiſcoporum a Synodo (*l*) prae Turrecrementa quemquam eluſeris, quam, ut video, noluiſti eidem aliquatenus ſuffragari. Atque ita perducitur res eò, ut hoc duntaxat utrique diſtetis, quòd Unus Sextam Synodum lapſam dicit errore intellectus: Alter turpiſſimo Voluntatis errore; quod neſcio, an minus Haereticis ſuppeditet argumentum omnes Synodos ſuggillandi: Quodve propterea id offenſum eſt, ut prae illo exigat emendari.

XLVI. Omnes ferè latebras ſuſpicionum peragravi: Quarum ſumma omnis illuc tandem redit, ut pluſquàm certa opinione concludat, *Epiſcopos in Sexta Synodo ita officio ſuo in Honorii I. Cauſſa expendenda defuiſſe, ut ne anathema Honorio dicendi occaſionem ſibi oblatam non amitterent, veriti fuiſſe viſi fuerint*; Quod Capitis XXIII. Titulus eſt: Quove eorundem Epiſcoporum Cauſſae patronus ego, licèt ſatis exiliter, extiti. In quo patrocinio ſi perfecimus quicquam, hoc unum eſt, planè oſtendiſſe, rationes omnes quibus uſus es, dubias & ancipites eſſe, magnaſque habere quaeſtiones, inſerendaque nova hac opinione, inſitiſque evellendis minus idoneas: Quaeque nuperrimam viam lubricam ita conſtituunt, ut ea inſiſte-

re,

(l) *Cap.* XXIV.

re, aut ingredi, ut apud Tullium eſt, ſine caſu aliquo, aut prolapſione vix poſſis. Id ſcilicet, unde conſit, nedum ſine certo argumento, ſed ne probabili quidem ſuſpicione Caput XXIII. fuiſſe conſcriptum. Quo nolim illud intelligas, deſponſam Tibi deſtinatamque laudem Eidem Tibi praereptam: Imo majorem inde firmioremque acceſſuram, cùm per occaſionem refellendae hujus Epiſtolae, ſi tamen tanti a Te fiet, in eam lucem duxeris argumenta, quibus adverſarius quiſque penitus convincatur, hac Una, inita abs Te Via Honorianam Cauſſam incolumem ſalvamque teneri. Egregiae ſit nunc virtutis, integritatis, humanitatis tuae, quae tantum in Te BENEDICTO MAGNO, quàm quod maximè placuerunt, me in fidem tuam clientelamque recipere, atque omni tempore habere commendatum. Vale.

TUDERTI III. JANUARII MDCCLVI.

FULGINIAE,
EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI FOFI, ET SOCII
Impreſs. S. Officii Spoleti.
MDCCLVI.

PRAESIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

FR. JOHANNES BAPTISTA CONSTANTIUS
PEDEMONTANUS DE ASSISIO

Artium, & Sacrae Teologiae Doctor, Totius Ordinis Minorum Sancti Franciſci Conventualium Poſt Seraphicum Patriarcham Miniſter Generalis LXXXVI.

QUum Libellum, cui Titulus = *Epiſtola Apologetica pro Patribus Sextae Synodi* = a Patre Magiſtro Dominico Antonio Baldaſſari noſtri ejuſdem Ordinis Regente compoſitum, duo noſtri Theologi juſſu noſtro recognoverint, & in lucem edi poſſe teſtati fuerint, facultatem impertimur, ut Typis tradatur, ſi iis, ad quos attinet, videbitur. In quorum &c.

Datum Romae ex noſtro Coenobio SS. XII. Apoſtolorum die 17. Februarii 1756.

F. Jo. Baptiſta Conſtantius Miniſter Generalis.

Fr. Jo. Paullus Jacopini a Volaterris Secretarius, & Aſſiſt. Ordinis, ac Provincialis Angliae.

DE mandato Illmi, ac Rmi Dni Maffei Epiſcopi Fulginatis, legi Opuſculum ab Admodum R. Patre Magiſtro Regente Dominico Antonio Baldaſſari Minorita Conventuali conſcriptum, cujus Titulus eſt = *Epiſtola Apologetica pro Patribus Sextae Synodi* = Cùmque in eo nihil invenerim, quod Fidei, moribuſque adverſetur, illud cenſeo publica luce dignum.

Canonicus Joſeph Torelli S. T. D. Librorum Cenſor.

Attenta ſupradicta relatione, IMPRIMATUR.

Nicolaus Bernabucci Vicarius Generalis.

JUſſu Rmi P. M. F. Ambroſii Mariae Chiappini Inquiſitoris Generalis Spoletani legi *Epiſtolam Apologeticam pro Patribus Sextae Synodi*, a Viro erudito P. Magiſtro Regente F. Dominico Antonio Baldaſſari Minorita Conventuali conſcriptam: Cùmque nihil offenderim, quod reprehendi, imò verò quod non laudari mereatur, ſeu dijudicandi vim ſpectes, ſeu verè aureum latinè ſcribendi genus lectiſſima cum eruditione coniunctum; idcirco illam dignam, quod in lucem edatur, exiſtimo.

Dabam Fulginiae in Conventu S. Dominici die 6. Julii 1756.

F. Dominicus Juſtinianus Ord. Praed. S. T. M. ac Illmi, & Rmi Epiſcopi Theologus.

IMPRIMATUR.

F. Ambroſius Maria Chiappini Inquiſitor Generalis Spoleti.

Digitized by Google

005673898

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google